



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dissertationes Ad Jus Publicum Romano-Ecclesiasticum

Bessel, Johann Franz

Coloniæ, 1715

VD18 14847493

Dissertatio V. De Reliquis Ecclesiæ Membris Summo Pontifice Inferioribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61383](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61383)

DISSERTATIO V.
DE
RELIQVIS ECCLESIAE MEMBRIS SUMMO
PONTIFICE INFERIORIBUS.

Postquam haecenus de summo Ecclesiae Principe, Pontifice Romano, ejus dignitate & praeminentia, varia & eminenti potestate, modo quo ad supremi Pontificatus apicem ascenditur, & demum de hujus Principis Curia dictum est; Considerandum restat & ordo devolvitur ad reliqua Hierarchiae Ecclesiasticae membra, quae potestati supremae & Pontificiae subalternentur, subjiciantur ac subordinentur, cum enim Ecclesia catholica per universum orbem extensa & diffusa sit, praeter unum & supremum caput, scilicet Romanum Pontificem, penes quem est regimen universale, Monarchicum & hierarchicum, oportet esse alios qui officium Pontificale, servata subordinatione in partibus administrent, equidem Episcopi in locum Apostolorum sunt substituti, in partem & partitionem curae Pontificiae vocati, ac Praesides & Magistratus provinciarum sunt ordinati, prout fuse Barboza scribit *de offic. & pot. Episc. part. 1. tit. 1. cap. 1. n. 1. & plurib. seqq.* Licet enim cura & officium universam Ecclesiam regendi, judicandi & gubernandi, soli Petro & successoribus commissum sit, Apostolis tamen Ecclesiae partiales & particulares erant concessae; & inde Episcopi in partem sollicitudinis (quamvis non in plenitudinem potestatis) sunt vocati. *can. 12. & seqq. caus. 2. quest. 6. cap. 4. de authorit. & usu pallii.*

Summo Pontifice igitur Ecclesiae capite constituto, sequuntur reliqua membra Ecclesiae, quae vel sunt Ecclesiastica vel laica; in praesenti tractatione solum de Ecclesiasticis tractare libet,

libet, quo ordine autem ea sequantur, quodnam cujusvis munus & officium sit, ex dicendis constabit, & in Synopsi est sequens:

- I. Cardinales.
- II. Patriarchæ & Primates.
- III. Archi-Episcopi seu Metropolitan.
- IV. Episcopi.
- V. Abbates.
- VI. Prælati Episcopo inferiores Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum.
- VII. Canonici.
- VIII. Parochi.
- IX. Prælati regulares non benedicti nec perpetui.
- X. Abbatissæ.
- X. Veniunt Legati Apostolici, non quasi his omnibus inferiores, sed quia Ecclesiæ Prælati proprie non sunt, licet maxima sit eorum Prærogativa.

SECTIO I.
DE
SACRÆ ROMANÆ ECCLESIAE
CARDINALIBUS.

§. I.

DE CARDINALIUM ORIGINE.

SUMMARI A.

1. Cardinales obtinent summam post Pontificem Dignitatem. 2. Unde dicantur Cardinales? 3. A quo inventum sit nomen Cardinalis?

4. Primitus quinam venerit sub nomine Cardinalis? 5. Quo tempore Jui eligendi Pontificem fuerit translatum in Cardinales. 6. Quis hodie dicitur.

Ff

diedum dicatur Cardinalis. 7. Ab initio quot fuerint Cardinales? 8. An Cardinales Diaconi olim habuerint titulos? 9. Tituli Cardinalium quid sint? 10. Quo tempore fuerit introductus numerus sep-

tuaginta Cardinalium. 11. Cardinalium est triplex Ordo. 12. Tituli Cardinalium Episcoporum. 13. Tituli Cardinalium Presbyterorum. 14. Tituli Cardinalium Diaconorum.

1 Post summum Pontificem suprema in Ecclesia dignitate potiuntur Cardinales velut Cardines & præcipui clerici. *per cap. fundamenta. 17. §. isti sunt de Elect. in 6. c. venerabilem. 17. qui filii sint legitimi.*

2 Cardinales exinde dicti sunt, quasi cardines Romanæ Ecclesiæ, in quibus illa volvatur & regatur: vel quia sedis Apostolicæ, quæ axis est & cardo aliarum Ecclesiarum, inserviunt. *Glossa in Extravagantem execrabilis. 4. vers. Cardinalibus. de præbend. olim Clericus Cardinalis dicebatur, qui erat primarius Canonicus, diaconi Cardinales, qui erant primarii diaconi, presbyteri cardinales, primarii & seniores presbyteri, Episcopi Cardinales, dicebantur præcipui & primarii Episcopi, Præfecti Cardinales erant primarii, honoratioris & præcipui præfecti.*

3 Cardinalis tamen nomen ante tempora Sylvestri existisse non constat, unde ab ipso creditur inventum, qui in sexta synodo Romana, quam celebravit post Constantini Imperatoris conversionem, ita legitur statuisse: *à subdiacono usq; ad lectorem, omnes subditi sint Diacono Cardinali. can. 5. dist. 93.* quo tempore verbum cardinalare etiam usum receptum est, quod significat, alicui

primarium & præcipuum officium vel locum concedere; postea consuetudine introductum, ut sub nomine Cardinalis veniret, qui esset assumptus ad eminentiorem statum & dignitatem Ecclesiasticam, præsertim Romæ; Ubi denique Cardinalatus sive dignitas prima post Pontificem fuit introducta; & ideo dicti Cardinales, ut advertit Hostiensis, quia totus Christianismus requiescit in Cardinalibus, velut in cardine, juxta illud *1. Reg. 2. Domini enim sunt Cardines terræ & posuit super eos orbem.*

Igitur ut dictum est, Cardinales etiam vocabantur præcipui presbyteri, qui à Pontifice destinati erant ad baptizandos & sepeliendos Christi fideles, à quo munere reliqui abstinere debebant, ut advertit Anastasius Bibliothecarius *in vita Marcelli Pape*, in reliquis autem officiis concionandi nimirum, sacramenta administrandi, aliisque Ecclesiasticis functionibus erant pares reliquis presbyteris, & erant ad obsequia Episcoporum; tempore autem athenati Sylvestri qui obiit anno Christi 335. paulo honoratius haberi inceperunt; & post annum Christi 600. adhibebantur legationibus, & Episcopis quasi præferebantur, quem-

quemadmodum Leo IX. Germanus Comes de Daxberg qui regebat ab anno 1049. usque ad annum 1054. dignitatem Cardinalitiam auxit, & Cardinalibus, qui erant presbyteri vel diaconi, dedit potestatem & jus utendi mitris ad instar Episcoporum. Pergit hic Münchmayer *Jurispr. publ. part. 2. cap. 6. fol. 195.* quod à Gregorio VII. qui anno 1073. electus fuit, Dignitas Cardinalitia majoribus prærogativis fuerit aucta & jus eligendi Pontificem à reliquo Clero ablatum, solis vero Cardinalibus collatum fuerit; verum Nicolaus II. (inter quem & Gregorium VII. adhuc intercessit Alexander II.) circa annum Domini 1059. jus eligendi Pontificem contulit in Cardinales excluso Clero reliquo & populo, ut constat *ex can. 1. dist. 23. can. 1. can. 9. dist. 79.* prout tamen *cit. Münchmayer dist. loc. fol. 195.* fatetur; undè constat, quod eo tempore jam fuerint Cardinales Episcopi, Cardinales presbyteri & Diaconi; Initium igitur dignitatis & collegii Cardinalitii, prout sumitur de facto, adscribendum est Nicolao II. circa annum Christi 1059.

6 Cardinalis autem, inspecto jure quod hodie Cardinalibus competit, describi potest, quod sit persona Ecclesiastica, cui competit jus eligendi summum Pontificem. dixi *Jus eligendi summum Pontificem*, quod est præcipuum Cardinalium modernorum officium, cui debetur eorum autoritas, & per quod

jus ab omni alio Clero primario distinguitur.

Cardinales autem ampliori & laxiori sensu, & antequam moderno jure sint donati, à principio tantum referuntur 13. & hunc numerum fuisse observatum usque ad tempora Leonis VII. quamvis numerus subinde fuerit diminutus nunquam auctus fuisse perhibetur, usque ad annos Innocentii II. qui regebat ab anno 1130. usque 1143. ab hujus autem tempore numerum fuisse auctum.

Hieronymus Lunadorus Genuensis *in tract. cui titulus: relatione della Corte di Roma* ait: Tituli Cardinalium Presbyterorum constituti erant certo numero, nempe erant 28. Presbyterorum, Diaconorum erant 18, Episcoporum 6. Numerus autem 28. Cardinalium Presbyterorum significat prærogativas Ecclesiarum urbis Romanæ, in qua Ecclesiæ quinque sunt conditæ, quæ Patriarchales dicuntur, scilicet S. Joannis Lateranensis, quæ summum Pontificem, S. Petri, quæ Patriarcham Constantinopolitanum, S. Pauli, quæ Patriarcham Alexandrinum, S. Mariæ Majoris, quæ Antiochenum, S. Laurentii extra muros, quæ Patriarcham Hierosolymitanum significant & repræsentant, quapropter ad servitia Ecclesiæ Lateranensis, utpote dignioris, ordinabantur sex Cardinales Episcopi, ad alterius cujusque, utpote minus principalium, Ecclesiæ servitia deputati erant septem

Ff 2

Cardi-

Cardinales Presbyteri, & hunc numerum fuisse ante annos 1200. præfixum, ait præfatus author; & servatum usque ad tempora Innocentii II. qui inceperat plures Cardinales simul creare, quem subsequentes Pontifices secuti, usque dum res eo devenerit, ut numerus 35. Cardinalium fuerit oblivione deletus, & aliquo tempore manserit minoratus, usque dum Leo X. illum numerum non solum restituerit, sed ipsemet insuper, sicut etiam Paulus III. & Pius IV. eundem auxerint; cum vero tituli 28. priorum Cardinalium Presbyterorum non sufficerent, condidit Leo X. adhuc alios 13. titulos, quibus etiam Julius addidit 3. Paulus IV. unum, cum tamen ante tempora Leonis nunquam fuerint plures quam 35.

Antiqua & quingentorum annorum consuetudo erat usque ad tempora Sixti IV. qui anno 1471. solium Pontificium conscendit, ut Cardinales Diaconi nullos titulos obtinerent, neque Cardinales Presbyteri haberent Diaconatus, quia moris non erat Diaconis committere curam animarum, & Presbyteris assignare Diaconatus. Verum Sixtus IV. erat primus, qui ordinem hunc immutavit, & Cardinalibus Presbyteris tribuit Diaconatus & Cardinalibus Diaconis titulos largitus est, qui modus eo invaluit, ut fere nullus sit titulus, quem Cardinalis Diaconus non habuerit.

9 Tituli autem Cardinalium sunt

parva Dioceses & Ecclesiae, quibus Cardinales præficiuntur, hi autem tituli non omnes sunt realiter & in actu secundo tales, sive qui certos redditus habeant, sed subinde in memoriam solum antiquarum & dirutarum Ecclesiarum.

Quamvis autem varii Pontifices varios olim creaverint Cardinales, ut Alexander II. 30. Gregorius VII. 19. Urbanus II. Cardinales 35. Paschalis II. 93. quorum tredecim essent Cardinales Episcopi, 50. Presbyteri, 13. Diaconi. Gelasius II. unum, Calixtus II. intra quinque annos 23. Cardinales in tribus creationibus denominaverit; similiter Honorius II. trina vice 31. Innocentius II. in sex creationibus declaraverit 53. Alexander III. sex creationibus 39. nihilominus:

Summus Pontifex Sixtus V. ordinavit ut essent Cardinales 72. non plures, sicut totidem fuerunt discipuli Christi Domini, & etiam tot feruntur esse diversae linguae in mundo, quas omnes linguas insuper hi numero 72. Cardinales significant.

Hi 72 Cardinales constituunt collegium Cardinalium, il sacro collegio Dei Cardinali, quod habet suum secretarium dictum il segretario del collegio, scribam Nationalem, il Chierico del consistorio, sive scriba consistorii, dein computistam.

Collegium etiam hodiernis moribus dividitur in tres classes Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum

rum & Diaconorum; Cardinalium Episcoporum sunt 6. Presbyterorum sunt 50. Cardinalium Diaconorum sunt 14. & subinde plures, sicut anno 1647. erant septendecim.

Ecclesiæ cathedrales, unde nuncupantur Cardinales Episcopi, sunt d' Ostia 2. di Porto. 3. di Palestrina. 4. di Frescati. 5. di Sabina. 6. d' Albano.

1. il Vescovo d' Ostia, Episcopus 12 Ostiensis.

2. il Vescovo di Porto, Episcopus Portuensis.

3. il Vescovo di Palestrina, Episcopus Prænestinus.

4. il Vescovo di Frescati, Episcopus Tusculus.

5. il Vescovo di Sabina, Episcopus Sabinensis.

6. il Vescovo d' Albano Episcopus Albanensis.

13 Tituli Cardinalium Presbyterorum sunt sequentes.

1. Sanctæ Mariæ trans Tyberim. 2. S. Pudentianæ. 3. S. Laurentii in Lucina. 4. Sanctæ Trinitatis in monte Pincio. 5. S. Marcellini & Petri. 6. S. Augustini. 7. S. Cæcilie. 8. S. Priscæ. 9. S. Mariæ de Ara cæli. 10. S. Alexii. 11. S. Prædix. 12. S. Mariæ de Pace. 13. S. Mariæ Angelorum. 14. Ss quatuor coronatorum. 15. S. Joannis & Pauli. 16. S. Mariæ super Minervam. 17. S. Anastasie. 18. S. Sixti. 19. S. Honophrii. 20. S. Sylvestri. 21. S. Mariæ in via. 22. S. Basilicæ duodecim Apostolorum. 23. S. Salvatoris in Lauro. 24. S. Pancratii. 25. S. Martini in

montibus. 26. S. Bartholomæi in Insula. 27. S. Clementis. 28. S. Joannis ante portam latinam. 29. S. Thomæ in Parione. 30. Agnetis in agone. 31. S. Marcelli. 32. S. Marci. 33. S. Sabinæ. 34. S. Susannæ. 35. S. Nerei & Achillei. 36. S. Laurentii in pane & perna. 37. S. Crucis in Hierusalem. 38. S. Martini in montibus. 39. S. Mariæ & populo. 40. S. Balbinæ. 41. S. Hieronymi Illiricorum. 42. S. Stephani in monte Cælio. 43. S. Mariæ trans Pontinæ. 44. S. Caroli ad cursum, vel Biagii in Anecio. 45. S. Eusebii. 46. S. Petri in monte aureo. 47. S. Chrysogoni. 48. Quirini & Julittæ. 49. S. Cæsarei. 50. S. Petri in vincula. Præter hos 50. Cardinales Presbyteros nihilominus Cardinalis presbyter Tyberio Cincio, qui obiit anno 1653. utebatur titulo S. Calixti.

Porro Cardinales Diaconi titulos 14 gerunt sequentium Ecclesiarum 1. S. Mariæ in via lata. 2. S. Estachii. 3. S. Agathæ. 4. S. Mariæ in Porticu. 5. S. Angeli piscium. 6. S. Mariæ novæ. 7. S. Mariæ in Cosmodin. 8. S. Nicolai in carcere. 9. S. Georgii ad velum aureum. 10. S. Mariæ in Aquario. 11. S. Adriani. 12. S. Cosmæ & Damiani. 13. S. Mariæ in Dominica. 14. S. Viti & Modesti. Nihilominus Cardinalis de Montalto Alexander Peretti nepos Papæ Sixti V. dum erat Cardinalis Diaconus, utebatur titulo S. Laurentii in Damasco. Porro hæc sunt:
Ff 3 NOMI-

NOMINA,

Episcopatus, Tituli, Diaconia, Cognomina, Patria, & Promotiones Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. Cardinalium nunc viventium,

EPISCOPI VI.

Emanuel Theodosius à Turre, Episcopus Ostiensis Cardinalis Bullionius, sacri Collegii Decanus, Gallus, creatus die 5. Augusti 1669. à Clemente IX.

Nicolaus, Episcopus Portuensis, Cardinalis Acciaiolus, Florentinus. 29. Novembris 1669. à Clemente IX.

Caspar, Episcopus Sabinensis, Cardinalis de Carpineo SS. D. N. Papæ Vicarius, Romanus. 22. Decembris. 1670. à Clemente X.

Cæsar, Episcopus Albanensis, Cardinalis Destraus, Gallus. 24. Augusti 1671. à Clemente X.

Franciscus Vincentius Maria, Ordinis Prædicatorum, Episcopus Tusculanus, Cardinalis Ursinus, Romanus, Archiepiscopus Beneventan. 22. Februarii 1672. à Clemente X.

Fabritius, Episcopus Prænestinus Cardinalis Spada, Romanus. 27. Maji 1675. à Clemente X.

PRESBYTERI XLVIII.

Galeatius, tit. S. Laurentii in Lucina Prior Presbyterorum Cardinalis Mariscottus, Romanus. 27. Maji 1675. à Clemente X.

Fulvius tit. S. Petri ad Vincula Cardinalis Astallius, Romanus. 2. Septembris 1686. ab Innocentio XI.

Bandinus tit. S. Praxedis Cardinalis Panciaticus Florentinus. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Ferdinandus tit. S. Balbinæ, Cardinalis de Abdua Mediolanensis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Franciscus tit. S. Sabinæ Cardinalis Judice Neapolitanus, Archiepiscopus Montis Regalis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Sebastianus Antonius tit. Ss. Quatuor Coronatorum Cardinalis Tanarius Bononiensis. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Jacobus tit. S. Mariæ in Via Cardinalis Boncompagnus, Bononiensis, Archiepiscopus Bononiæ. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Thaddæus Aloysius, tit. S. Alexii Cardinalis de Verme, Placentinus, Episcopus Ferrariensis. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Franciscus Thomas Maria, Ordinis Prædicatorum tit. S. Clementis Cardinalis sancti Clementis nuncupatus. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Joseph tit. S. Mariæ Transpontinæ, Cardinalis Sacripantes, Narniensis. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Joannes Baptista tit. S. Cæsarei Cardinalis Spinula Januensis, S. R. E. Camerarius. 12. Decembris 1695. ab Innocentio XII.

Geor-

Georgius Basilicæ Ss. XII. Apostolorum Cardinalis Cornelius, Venetus, Episcopus Patavinus. 22. Julii 1697. ab Innocentio XII.

Fabritius tit. Ss. Joannis & Pauli Cardinalis Paulutius Foroliviensis, Major Pœnitentiarius, 22. Julii 1697. ab Innocentio XII.

Ludovicus Antonius tit. S. Mariæ supra Minervam, Cardinalis de Noailles, Gallus, Archi-episcopus Parisiensis. 21. Junii, 1700. ab Innocentio XII.

Franciscus tit. Ss. Marcellini & Petri Cardinalis Pignatellus, Neapolitanus, Archi-episcopus Neapolis. 17. Decembris 1703. à sanctissimo Domino nostro.

Joannes tit. S. Marci Cardinalis Baduarius, Venetus, Episcopus, Brixien. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Laurentius tit. S. Bernardi Cardinalis Cafonus, Sarzanensis. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Laurentius tit. S. Susannæ, Cardinalis Corsinus, Florentinus, 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Laurentius tit. S. Mariæ de Pace, Cardinalis Fliscus, Januensis, Archi-episcopus Jantæ. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Franciscus tit. S. Cæcilie, Cardinalis de Aquaviva, Neapolitanus. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Thomas tit. S. Mariæ trans Tyberim, Cardinalis Ruffus, Neapo-

litanus. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Horatius Philippus tit. S. Honuphrii, Cardinalis Spada, Lucensis, Cardinalis S. Honuphrii nuncupatus, Episcopus Lucæ. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Philippus Antonius tit. S. Chryfogoni, Cardinalis Gualterius, Urbevetanus, Episcopus Tudertinus. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Joseph tit. S. Mariæ Angelorum, Cardinalis Vallemanus, Fabrianensis. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Christianus Augustus tit. Cardinalis è Ducibus Saxonie Archi-episcopus Strigoniensis, Episcopus Jaurinensis. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Joannes Dominicus tit. S. Anastasiæ Cardinalis Paraccianus, Romanus. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Joseph tit. Sanctissimæ Trinitatis in monte Pincio Cardinalis de la Tremoille, Gallus. 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Carolus Augustinus tit. S. Augustini, Cardinalis Fabronus, Pistoriensis. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Michael Angelus tit. Ss. Quirici & Julithæ Cardinalis de Comitibus Romanus, Episcopus Viterbiensis, & Tuscanensis. 7. Junii 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Ulysses Josephus tit. S. Crucis in Jerusalem, Cardinalis Gozzadinus, Bono-

Bononiensis, Episcopus Imolensis. 15. Aprilis 1709. à sanctissimo Domino nostro.

Antonius Franciscus tit. S. Petri in monte aureo Cardinalis Sanvitalis, Parmensis, Archi episcopus Urbinaten. 15. Aprilis 1709. à sanctissimo Domino nostro.

Ludovicus tit. S. Sylvestri in Capite Cardinalis Picus de Miranda. 18. Maji. 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Joannes Antonius tit. S. Calixti Cardinalis de Via, Bononiensis, Episcopus Ariminensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Augustinus tit. S. Mariae de Populo, Cardinalis Cusanus, Mediolanensis, Episcopus Papiensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Julius tit. Cardinalis Piazza, Foroliviensis, Episcopus Faventinus. 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Antonius Felix tit. Cardinalis Zondodarius, Senensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Emanuel tit. Cardinalis Arias, Hispanus, Archi episcopus Hispalensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Joannes Baptista tit. S. Mariae in Araceli, Cardinalis Bussius, Viterbiensis, Episcopus Anconitanus. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Petrus Marcellinus tit. S. Joannis ante portam latinam, Cardinalis

Corradinus, Setinus. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino.

Benedictus Ordinis S. Benedicti Cardinalis Sala, Hispanus, Episcopus Barchinonensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Armandus Gasto tit. Cardinalis de Rohan de Soubize, Gallus, Episcopus Argentinenfis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Nonius tit. Cardinalis de Cunha de Attayde Lusitanus. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Wolfgangus Annibal tit. Cardinalis de Schrottembach, Germanus, Episcopus Olomucensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Aloysius tit. S. Marcelli, Cardinalis Priolus Venetus, Cardinalis S. Marcelli nuncupatus. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Joannes Baptista è societate Jesu tit. S. Stephani in monte caelo Cardinalis Ptolomæus Pistoriensis. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Fr. Franciscus Maria, Ordinis Capuccinorum tit. S. Prisca, Cardinalis Casinus Aretinus. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Benedictus tit. Cardinalis Odescalcus Mediolanensis, Archi episcopus Mediolanensis, 30. Januarii 1713. à sanctissimo Domino nostro.

DIA-

DIACONI XII.

Benedictus S. Mariæ in via lata primus Diaconus Cardinalis Pamphilius, Romanus, Archipresbyter Ecclesiæ Lateranensis. 1. Septembris 1681. ab Innocentio XI.

Petrus S. Laurentii in Damasco Cardinalis Otthobonus, Venetus, S. R. E. Vice-cancellarius & Summistra, Archipresbyter Basilicæ Liberiænæ. 7. Novembris 1689. ab Alexandro VIII.

Carolus S. Agathæ Cardinalis Bichius Senensis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Joseph Renuus S. Georgii, Cardinalis Imperialis, Januensis. 13. Februarii 1690. ab Alexandro VIII.

Franciscus S. Angeli in Foro Piscium, Cardinalis Barberinus, Romanus. 13. Novembris 1690. ab Alexandro VIII.

Laurentius S. Nicolai in carcere Cardinalis de Alteriis Romanus. 13. Novembris 1690. ab Alexandro VIII.

Carolus S. Mariæ de Scala Cardinalis Columna Romanus. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Petrus S. Adriani Cardinalis Priolus Venetus, Episcopus Bergomensis. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Nicolaus S. Mariæ in Cosmedin Cardinalis Grimaldus Januensis. 17. Maji 1706. à sanctissimo Domino nostro.

Annibal S. Eustachii, Cardinalis Albanus Urbinas, Archipresbyter

Basilicæ Vaticanæ. 23. Decembris 1711. à sanctissimo Domino nostro.

Curtius S. Mariæ in Dominica Cardinalis Origus Romanus. 18. Maji 1712. à sanctissimo Domino nostro.

Melchior Cardinalis de Polignac, Gallus. 18. Maji 1720. à sanctissimo Domino nostro.

Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinales.

Ordinum seu congregationum Regularium.

PROTECTORES.

Acciaiolus *Capucinatorum.*

De Carpineo. *S. Joannis Dei & Scholarum piarum, ac doctrinae christiana.*

Ursinus *Canonicorum Regularium S. Salvatoris.*

Spada *Minorum Observ. etiam Reform., & Tertii Ordinis S. Francisci.*

Mariscottus *Predicatorum.*

Panciaticus *Casiniensium.*

De Abdua *Camaldulensium.*

Tanarius *Praemonstratensium, & congregationis Vnedesimen, in Belgio.*

Gg *S. Cle-*

S. Clementis	<i>Clericor. Regular. Ministr. Infirmis, & Congreg. Bethleemitarum in Indiis.</i>	Casinus	<i>SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum.</i>
Sacripantes	<i>Totius Ordinis Carmelitarum.</i>	Pamphilius	<i>Cisterciensium.</i>
Spinula	<i>Olivetorum.</i>	Ottobonus	<i>Redempt. Captivorum B. Mariae de Mercede, & S. Hieronymi, seu S. Alexii.</i>
Paulutius	<i>Clericorum Regular. Minorum.</i>	Imperialis	<i>Totius Ord. S. Augustini, & Montis Virgin.</i>
Corfinus	<i>Servorum B. Mariae.</i>	Barberinus	<i>Reformatorum S. Bernardi Cisterciensium.</i>
Ruffus	<i>Basilianorum.</i>	Albanus	<i>Minorum S. Francisci de Paula, Carthusianorum, & B. Petri de Pisis, seu S. Honuprii.</i>
Vallemanus	<i>Minorum Conventualium S. Francisci.</i>		
Paraccianus	<i>Silvestrinorum, & Coelestinorum.</i>		
Fabronus	<i>Canonic. Regul. Lateranensium, & Vallisumbrosae.</i>		

§. II.

QUIS CREARE POSSIT ET QUOMODO CREENTUR
CARDINALES, UBI ETIAM DE EORUM PRÆ-
ROGATIVIS AGITUR.

SUMMARIA.

1. *Quis possit creare Cardinales?*
2. *An Cardinalium Collegium possit creare Cardinalem?*
3. *An Cardi-*

nales sede Romana vacante possint restituere Cardinalem depositum? 4. *Quibus temporibus creentur Cardinales?*
4. *Qui*

5. Quibus ceremoniis creentur Cardinales? 6. Si absens creetur Cardinalis, qua ceremonia interveniant? 7. Neo-Cardinalis quas expensas & honoraria debeat elargiri in sui promotione? 8. Quam precedentiam sibi attribuant Cardinales? 9. Qu-

nam ipsis negent precedentiam? 10. An habeant precedentiam praesacri Romani Imperii Electoribus 11. Quis titulus attribuitur Cardinalibus & à quo tempore vocentur Eminentissimi.

1. *Quæres 1. A quo creentur Cardinales?*

Ratio dubitandi est, quia in concilio Basileensi anno 1431. sancitum fuit, ut per viam ordinariæ electionis & scrutinium assumatur ad dignitatem cardinalitiam cum consensu cardinalium 1. legitime natus. 2. Vir probus. 3. Doctus, Licentiatus aut Doctor. 4. Qui sit triginta annorum. 5. Qui non sit Pontificis aut alicujus cardinalis nepos, verba concilii sunt: *ut electio fiat cum scrutinio & consensu Cardinalium, de viro proba, moribus bonis insignito, justis natalibus orto, id est legitimo, Licentiato aut Doctore, ætatis 30. annorum, qui non sit nepos ex fratre & sorore Pontificis aut Cardinalium.*

Resp. Cardinales creantur à solo Pontifice, ita testantur Fagnanus in cap. ex parte n. 20. de pactis. ibi: cardinalium potestas à solo Papa emanat. Archid. in cap. ubi periculum col. 4. circa finem. ubi de cardinalibus ait: quicquid possunt, habent à Papa de elect. in 6. & ratio est, quia regimen Ecclesiæ est Monarchicum, adeoque penes solum Pontificem debet esse potestas ordinandi & disponendi statum Ecclesiasticum; concordat etiam praxis huc

usque nunquam interrupta sicut nullus cardinalis unquam adhuc creatus fuit, nisi à solo Pontifice, adeo ut cardinales nequidem sede vacante possint cardinalem creare. Glossa in clement. ne Romani verb. potestatis de Elect. Villadiego de Origine Cardinalium quest. 6. vide cap. ubi periculum §. idem de Elect. creatio enim cardinalis spectat ad jurisdictionem papalem, quæ nunquam ad cardinales transit.

Objicies. Qui potest id, quod est plus, etiam potest id, quod est minus, atqui cardinales possunt id, quod est plus: nimirum eligere & creare Pontificem; ergo etiam poterunt quod est minus, scilicet creare cardinalem.

Resp. 1. ad Maj. retorquendo: Capitulum creat Episcopum, quod est plus, ergo etiam sede vacante posset conferre beneficia ad solius Episcopi reservationem spectantia, quod esset minus, & tamen est contra cap. unic. ne sede vacante in 6.

Resp. 2. Dist. Maj. qui potest plus etiam potest quod est minus, si ea sint connexa, nec alterum specialiter reservatum C. Maj. si non sint connexa sed disparata, & alterum

Gg 2

spe-

specialiter reservatum N. Maj. & sic dist. Min. ac N. Conseq.

Corollarium. 1. à facultate creandi cardinalem adeò excluditur collegium cardinalium, ut etiam si subesset necessitas vitandæ discordiæ & accelerandæ electionis summi Pontificis, tamen hæc potestas ei non competat, quia huic necessitati aliis rationibus est occurrendum, ut notat Hostiensis *in cap. licet de elect. in 6.*

3. Corollarium 2. Ob eandem rationem collegium Apostolicum non potest sede vacante restituere nec habilitare cardinales per Papam privatos seu depositos, etiam ad vocem. *cap. un. de sibi smat. in 6.*

Quæres 2. *Quibus temporibus creantur Cardinales?*

4. Resp. Determinatio temporis, quo cardinales creantur, est arbitraria, quamvis antehac fuerit consuetudo creandi & denominandi cardinales in quatuor temporibus, tempore quadragesimæ, in festo trium regum, ad imitationem patrum antiquorum, qui hisce temporibus sacerdotes ordinare consueverunt.

Quæres 3. *Quibus ceremoniis creantur Cardinales?*

5. Resp. Pontifex solet duobus modis cardinales creare & denominare: Primus est, quod cardinales nepotes Pontificis illis, quos Pontifex vult creare cardinales, & qui sunt Romæ præsentis, pridie creationis suæ id insinuent, qui proinde altero mane hora consueta in

palatio Apostolico se sistunt, & Pontificem expectant; quando ergo & postquam consistorium secretum est conclusum, Pontifex eos publice denominat ac pronunciat, quos ad dignitatem cardinalitiam vult promovere, post hoc intromittuntur in consistorium, & postquam unus post alterum coram Pontifice procidit in genua, imponit cuius beretum rubrum, la berotta rossa, his verbis: *Esse Cardinalis*, & format super eum signum crucis, eique insinuat feriis verbis, ad quos & quantos honores sit elevatus, ac adhortatur ut mores & vitam honoribus dignam gerat, quo facto neo-cardinalis beretum deponit, & exosculatur pedes pontificis, &c.

Alter modus refertur esse, quod pontifex in secreto consistorio proponat & pronunciet illos secundum ordinem eorum status & conditionis, ac postea eorum designationem regenti cardinali nepoti transmittat, qui dein suum cameræ præfectum sive magistrum cameræ & primariam suam Rhedam mittit, ad vocandos neo-denominatos cardinales, quos deinde præsentis ad suum curat duci cubiculum, ubi neo-creato raditur corona (scilicet tonsura) & induitur veste cardinalitia, violacei coloris; priores autem vestes relinquuntur & cedunt cardinalis nepotis cameræ adjutanti; & barbitonsori, qui neo-creatum radit, dantur 25. coronati. Posthac cardinalis nepos neo-cardinalem retinet ad prandium & honorifice tractat,

tractat, in cubiculo concedit neo-cardinali præcedentiam, secus extra cubiculum, posthæc omnia neo-cardinalem ducit ad Pontificem, coram quo tribus distinctis vicibus ille in genua procidit, Pontificis pedes exosculatur, cui à manu pontificia beretum rubrum imponitur; post peractas dein humillimas gratias neo electus discedit, in veste cardinalitia invisurus consanguineos Pontificis; quo facto domi remanet usque ad proximum & publicum consistorium, interimque utitur veste violacea, nempe interiori solum & captio (in sottana & mozzetta) neque ullum, qui eum invisit, neo-cardinalis comitatur ultra januam sui cubiculi, etiam si ab alio cardinali invisatur, quamvis moris sit, quod nullus cardinalis neo-cardinalem visitet ante peractum publicum consistorium; quod si tamen amicitia causa aut alia ex ratione forsan invisere vellet, id fieri solet de nocte, ne quis advertat.

- 6 Porro si quis absens creatur cardinalis, noviter creato insinuationem collatæ dignitatis defert vel pontificius vel à regente cardinale nepote dimissus nuntius, cui liberale honorarium dari consuevit, adeo ut præfati nuntii subinde 500. coronatos acceperint; imo cardinalis Franciscus Peretti de Montalto anno 1641. huic nuncio 1000. ludovicos aureos (louis d'or) erogaverit; & hoc honorarium (deductis viz expensis) in tres divi-

ditur partes, quarum una tertia generali postarum præfecto, altera cardinalis nepotis secretario, ultima denuo pars tertia ipsimet nuntio debetur.

Beretum rubrum transfert neo-denominato pontificius quidam prælatus domesticus sacri palatii, una cum brevi Apostolico, quod dirigitur ad nuntium Apostolicum, Archi-episcopum, Episcopum aut principem (vel etiam regem aut Imperatorem) cui locus ille subest, in quo neo-cardinalis moratur, quod breve apostolicum hujus est tenoris, quod princeps talis ecclesiasticus vel laicus requiratur, ut beretum rubrum neo-creato cardinali nomine summi pontificis imponat, quæ bereti impositio, certis solennitatibus & ceremoniis in Ecclesia fieri consuevit.

Domestico Prælato, qui beretum defert, insignia solent conferri honoraria five dona, subinde mille coronati, mille ludovici aurei, imo & tria millia coronatorum, quæ honoraria ille cum reliquis prælatis domesticis dividere solet ac debet.

Dum beretum rubrum ad civitatem, in qua noviter creatus degit, delatum fuerit, illud per publicas plateas ad omnium conspectum portatur. Posthæc determinatur dies quidam dominicus vel festivus, quo in neo-cardinalis ædibus congregentur ablegatus pontificius, qui beretum transfudit, prælatus vel missus qui beretum noviter creato cardinali imponat, & denique

que omnes illi, qui in venerationem neo-cardinalis huic sollemnitati interesse volunt; hi omnes equitant vel alio modo pro opportunitate loci, procedunt ad Ecclesiam, finitis precibus & sacro celebrato missus pontificius sese induit paramenti, conscendit thronum paulo eminentiorem, ut ab omnibus videri possit, posthac beretum rubrum reponit super altari, tradit praelato pontificio breve apostolicum, quod summa veneratione acceptatur, & ab aliquo praelati domesticis publicè praelegitur, quo facto memoratus praelatus quaedam profert de meritis neo-creati cardinalis, & debere hoc breve apostolicum mandari executioni; posthac neo-creatus cardinalis accedit altari, genua flectit, deponit iuramentum modo & tenore Romae transmissio; interim praelatus pontificius deponit mitram, persolvit aliquas orationes consuetas & neo-cardinali imponit caputium (il capucio della cappa) praelato autem rursus imponitur mitra, qui postmodum beretum rubrum accipit à missio pontificio, illudque capiti neo-cardinalis imponit, & ei praebet osculum pacis; quo peracto beretum rubrum neo-cardinalis, & praelatus pontificius mitram deponunt, posterior intonat hymnum *Te DEUM laudamus*.

Finio hymno ambrosiano, praelatus pontificius persolvit orationem sive collectam pro neo-cardinale, populo autem impertitur

benedictionem, quibus omnibus peractis praesentes omnes comitantur neo-cardinalem ad ejus aedes, qui dum equitat, rubrum beretum capiti impositum gestat, domum vero perveniens agit gratias omnibus, qui ei exhibuerunt honorem & comitati sunt.

Quando neo-cardinalis Romam proficiscitur, pileum cardinalitium è manibus Pontificis accepturus, debet is in itinere esse indutus curta veste violacea, & in capite gerere pileum coloris nigri, dum autem Romam pervenit, debet extra urbem & certo loco descendere & semet induere veste, qua cardinales utuntur in urbe, veste nimirum exteriori sive talari & rochetto, in capite tamen gerit pileum nigrum, post hanc pergit unum cum rhedis & curribus, qui ei mittuntur obviam, ad regentem cardinalem nepotem, eidem solitas ceremonias oblaturus & persolutorus, à quo deinceps ducetur ad Pontificem, coram quo procidit in genua, ejus pedes exosculatur, & gratias agit pro collato sibi honore, beretum cardinalitium deponit & in manus summi pontificis consignat, quod Pontifex pro more accipit & postea neo-cardinali rursus imponit; postquam autem neo-cardinalis discedit à Pontifice, comitatur cardinalem nepotem ad suum conclave, & deinceps omnes Pontificis consanguineos visitat, illisque debitum honorem & visitationem exhibet.

Post.

Postquam neo-cardinalis omnes has ceremonias peregit, & curialia observavit, revertitur ad suas ædes, ibique remanet, donec ei à Pontifice infinuata fuerit facultas comparandi in publico consistorio, interea tamen potest visitari quidem ab aliis, sed privatim & sine solennitate, non autem suo conclavi exire, nec visitantes comitari audeat, quicumque etiam fuerint.

Postquam igitur dies sollemnis & publici consistorii fuerit denominata, qua neo-cardinalis pileum rubrum sit accepturus, is se confert ad palatium summi Pontificis, quo etiam reliqui cardinales se conferunt ad conclave, in quo Pontifex se induit suis paramentis, neo-cardinalis discedit ad capellam Sixti (la capella di sisto) Pontifex autem induto suis paramentis reliqui cardinales bini & bini transeunt ad ambitum consistorialem, (la sala del consistorio) posthæc duo cardinales diaconi vocant neo-cardinalem, eumque adducunt ad consistorium, in cuius ingressu profunde genu flectit, idem repetit in medio, & tertio demum ad gradus solii Pontificii; posthæc ascendit gradus & osculatur primo pedes summi Pontificis, tandem admittitur ad osculum manus & oris; peractis hisce transit ad omnes cardinales, incipiendo à seniori, ad osculum pacis peragendum, quo facto intonatur hymnus: *Te Dæum laudamus*, dein procedunt cardinales bini & bini ad capellam Sixtinam,

stant circa altare, tandem venit & neo-cardinalis & flectit coram altari, dum autem decantatur versus ex hymno præfato, te ergo quæsumus, ejusdem caput tegitur caputio (il capucio della cappa) & se prosternit ad gradus altaris, & manet prostratus, usque dum finiatur hymnus, post hæc cardinalis decanus vel senior stans ad latus altaris aliquot collectas persolvit, neo-cardinalis autem surgit, eique per cardinalem decanum vel seniore deponitur prædictum caputium, & in præsentia duorum seniorum cardinalium, presbyteri unius & diaconi alterius dictorum: gli altri due capi d'ordini, & illius cardinalis qui est supremus Ecclesie Romanæ camerarius, il cardinale camerlengo dictus, porrigitur neo-cardinali juramentum perlegendum & postea præstandum, cardinalibus reliquis interim ad sua loca & stationes recedentibus, perlecto juramento demum jurat neo-cardinalis se servaturum semper & constanter omnia ea, quæ in tenore perlecti juramenti continentur, quo peracto omnes cardinales ordine superius memorato revertuntur ad conclave consistorii, & ultimo sequitur neo-cardinalis, qui coram Pontifice genu flectit & magister ceremoniarum eidem rursus imponit prædictum caputium, Pontifex fundit aliquas preces, & accipiens pileum rubrum, eundem neo-cardinalis capiti imponit, dicens: *Ad gloriam Omnipotentis Dei*

Et decorem sacrae Apostolicae sedis, accipe pileum rubrum speciale signum dignitatis Cardinalitiae, ad significandum: quod re oporteat esse imperterritum ad fundendum sanguinem tuum, imo moriendum pro fide, pro Ecclesia Romana pace, quiete, emolumento & incremento. In nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.

Quo finito Pontifex revertitur ad suum conclave, neo-cardinali autem pileus & caputium deponitur, & recedit ad aliquod latus, ibique remanet, donec reliqui cardinales secundum ordinem exiverint ad ambitum regium, dictum *sala regia*, ibique fuerint collocati in corona, quos sequitur neo-cardinalis, & unum post alterum accedit, ac facta inclinatione agit gratias pro exhibito sibi honore ac favore; demum recedit, eumque reliqui cardinales accedentes gratulantur, ac discedunt, solus vero cardinalis nepos remanet & neo-cardinalem secum ducit domum ad prandium.

Pileum rubrum, quem ei Pontifex imposuerat, neo-cardinali defert patinae impositum quidam ex secretioribus camerariis, cui pro honorario offeruntur 3. vel 4. & etiam 500. coronati, famulo autem, qui pileum portavit, datur annulus 25. vel 30. coronatorum; debet item neo-cardinalis plura alia honoraria post consistorium expendere, quae ascendunt summam 370. coronatorum. Nimirum:

Alla sagrestia del papa, sacrificii pontificii ducatos	25.
à maestri delle ceremonie del papa, magistro ceremoniarum	100.
Al secretario, clerico computistae del sacro collegio, secretario, scribae, & computistae cuiusvis	25.
ducatos	75.
Alli cantori del papa, pontificiis cantoribus	30.
ai cubicularii segreti del papa, pontificiis secretioribus cubiculariis	20.
ai custodi generali delle vesti del papa, custodibus vestium pontificis	10.
ai sotto cammerieri del papa, inferioribus cubiculariis pontificis	6.
ai diaconi, subdiaconi della capella del papa, diaconis & subdiaconis capellae papalis	4.
al clerico di capella	2.
al custode di capella, custodi capellae	1.
ai due chierici di capella secreta	6.
ai palefrenieri del papa, stabulariis pontificis	25.
ai mazzieri del papa	15.
ai cursori del papa	10.
al custode della porta di ferro	6.
al custode delle catene.	4.
al custode de giardini segreti	3.
alla forreria del papa	5.
à quattro scopatori segreti	4.
ai musici di castello S. Angelo	6.
alli maestri delle ceremonie per li mantelleti de consistorio publico, magistris ceremoniarum pro ornatu adhibito in consistorio publico	12.
Summa	370.

Quz

Quæ summa traditur cuidam magistro ceremoniarum, qui illam deinceps distribuit; Cæterum feccretioribus cameræ prælatis solent offerri ut minimum 1000. coronati aurei, imo cardinales ex stirpe principum feruntur dedisse 4. aut 5000. coronatorum.

8 Quæres 4. *Quam præcedentiam sibi attribuant Cardinales?*

Magnam sibi vindicant cardinales dignitatem & autoritatem, eamque prætendunt non solum principibus superiorem, sed ferè regiam; equidem præ omnibus principibus præcedentiam & statim post reges locum desiderant, & eum

2. sibi vindicant, præ omnibus legatis regiis, cum dicant quemlibet eorum posse eligi in Pontificem, ac tandem ipsimet Imperatori præferri.

9 Hanc tamen præcedentiam cardinalibus controvvertit Dux Venetus, quia se caput dicit Reipublicæ, cui corona debetur, *d' una Republica coronata*. Eandem præcedentiam legitur in controversiam traxisse Carolus Archidux Austriae Episcopus Vratislaviensis, Imperatoris Ferdinandi junior frater, prout notatur in *Mercurio francois*, dum enim Carolus per Italiam in Hispaniam tenderet, venit is Milanum & Florentiam quidem, Romam tamen accedere noluit, dubius num Romæ ita tractaretur, & eo haberetur honore, quem sibi prætendebat deferri? scilicet an in sacello papali locum & sedem ante omnes cardinales presbyteros & immedia-

tè post cardinales episcopos obtineret? benè conscius, quod Principi de Condè Gallo & principaliori Principi ex stemmate regio, item Duci Sabauda ac Magno-Duci Florentiæ tantum licuerit sedere ante ultimum cardinalem diaconum.

Quando item præfatus Dux Carolus Florentiam attigit serenissimam sororem suam & defuncti Magni-Ducis viduam ejusque filium Ferdinandum II. invisurus, renuit Carolus Archidux concedere præcedentiam & manum dexteram cardinali Carolo de Medices, cum tamen esset consuetudo in Italia, quod cardinales in Italia habeant præcedentiam præ omnibus principibus, etiam in propriis ædibus & palatiis; quapropter medium hoc adinventum, ut Archidux Carolus & cardinalis de Medices in tali cubiculo convenirent, in quod per duas januas intrare liceret, adeoque unus per hanc & alter per aliam januam intrarunt & ita stantes sunt collocuti, quo sermone finito postquam sibi valedixerunt, quilibet eorum per suam januam exivit.

Eandem præcedentiam cardinalibus negant in Germania Eminentissimi & Serenissimi Principes Electores S. R. Imperii; exemplum allegat Munchmayer *Jurispr. part. 3. cap. 4. fol. 214.* ubi refert, quod in coronatione Caroli V. Matthæus Schiener, Episcopus Sittenfis, cardinalis presbyter tituli S. Pudencianæ,

Hh

tianæ,

tianæ, Matthæus Langen de Weltenburg, Archi-Episcopus Salisburgensis & cardinalis diaconus, tituli, S. Angeli in foro piscium, item Wilhelmus Jacobus de Croy, Episcopus Cameracensis & Archi-Episcopus Toletanus, cardinalis tituli S. Mariæ in Aquino, qui in Januario anno 1521. in Comitibus Wormatiensibus obiit, Electoribus præcedentiam cesserint.

Nimis humilem censuram de cardinalium prærogativis monstraverat, ac omnimodum cardinalitæ dignitatis vilipendium orbi expresserat Fridericus Wilhelmus, Elector Brandenburgicus. Equidem dum Quidobaldus Archi-Episcopus Salisburgensis, & Primarius S. Cæsareæ Majestatis Commissarius in Comitibus Ratisbonensibus, anno 1663. creatus erat cardinalis, præfatus Archi-Episcopus omnibus Principatibus Imperii Statibus insinuans se ad dignitatem cardinalitiam esse promotum, ab omnibus Statibus (excepto Brandenburgico) desuper receperat litteras gratulatorias. Dum verò idem Archi-Episcopus ex Legato Brandenburgico tunc temporis Ratisbonæ existente quæreret, cur ab ejus Principali non reciperet responsum, cum tamen eidem intimasset, noviter sibi collatam cardinalatus prærogativam, se excusavit Legatus, & se desuper instructionem non habere, se tamen velle repetitam mentionem facere apud suum Principalem; quapropter præfatus Elector Fri-

dericus Wilhelmus tandem Quidobaldo rescripsit ac respondit: *se putasse gratulatione opus non esse, imò censuisse Primatem S. R. I.* (is enim est Archi-Episcopus Salisburgensis) *esse digniorem Canonico S. Petri Romæ* (ita appellaverat cardinales) *quod si tamen gratulationem præstenderet, se illam bisse velle exhibere.* Verum quid hic sit respondendum, judicet orbis.

Juxta constitutionem Sixti V. cardinales æquiparantur regibus, quapropter si in coronatione Pontificis aut alia solennitate ad mensam pontificiam perveniat rex quidam, assignatur ei locus post primum cardinalem, scilicet Decanum collegii cardinalitii Episcopum Ostiensem, quod si plures reges sint præsentés, sedent ii inter reliquos cardinales episcopos, ita tamen ut cardinalis episcopus semper obtineat locum superiorem. Primo-genito filio regis non conceditur locus & sedes inter cardinales episcopos, sed assignatur ei locus immediate post primum cardinalem presbyterum, prout colligitur ex ceremoniali pontificio, præsertim Christophori Marcelli Episcopi Corcyriensis, aliorumque authorum. Aliqui volunt, quod reges in sacello papali locum suum sortiantur post cardinalem decanum; Christina Sueciæ regina habuit in præfato sacello specialem locum sibi assignatum, & in suo conclavi quoties à cardinalibus visitata, superiorem locum retinuit, ejusque sedes, quæ

utaba-

utebatur, semper erat pretiosior, quam reliquæ, quibus cardinales infederant, quod tamen cardinales sibi non duxerunt præjudicio, quia is honor reginæ, quæ fidem catholicam amplexa, ut peregrinæ, & ex humanitate concedebatur.

Porro hæc præcedentia obtinet Romæ, apud exterarum enim provinciarum hæc cardinalibus rixas parit; hinc memoratu dignum, quod legitur de Francisco Duce de Valois & Anguolesme, postea hujus nominis primo Galliarum Rege, qui dum edoctus erat, quod cardinalis de Brie (qui tempore Ludovici XII. administrationem regni dirigebat,) sibi in publico conventu præcedentiam attribuere voluerit, ea ratione, quod cardinalibus competat privilegium sedendi ad dexteram regis, præfatus Dux cardinali nuntiari mandavit, consultius fore, si is privilegio suo uteretur Romæ, quam in Galliis, ne alioquin caput eodem tingeretur rubore, & pingeretur colore, quo pileus cardinalitius.

¶ Quæres 5. Quis titulus attribuatur Cardinalibus?

Resp. Pontifex eos appellat fratres, ab aliis demum olim vocabantur Illustrissimi Signori, Illustrissimi Domini, hodie dum dicuntur Eminentissimi, qui titulus iis concessus fuit ab Urbano VIII. die 10. Junii anno 1630. per specialem constitutionem consistorialem, ita quidem, ut idem titulus Eminen-

tissimi nulli tribuendus sit, nisi Principibus Electoribus Ecclesiasticis S. R. I. & demum magno ordinis Equestris Melitensis Magistro, & quod si titulus Eminentissimi à quoquam (exceptis Imperatore & Regibus) cardinali cuidam non tribuatur, litteræ, in quibus prædictus titulus *Eminentissimi* est omissus, non acceptantur. prout pluribus exhibet Crüsius fol. 189. Imperator vocat cardinales *Reverendissimos*, Rex Hispaniarum *Muy Reverendo*, quod in idem recidit, cum Hispani superlativo careant; Rex Galliarum *Mons Cousin*, hoc est: affines sive patrueles; Rex Poloniae loco Dominationis *Illustrissima Vestram Illustrissimitatem* dicit. omnes autem alii, qui cardinales vocant *Illustrissimos*, vult Pontifex: ut deinceps vocent *Eminentissimos*, sicut ad litteram habet constitutio prædicta Urbani VIII.

Cardinales qui sunt stemmatis Regii, aut sanguine Principes, se Principes vocare non audent, sic Cardinalis Sabaudus se appellabat Mauritium Cardinalem de Sabaudia, non autem sic: Mauritius Cardinalis & Princeps Sabaudia. Cardinales Galli ex familia Regia se vocarunt Cardinales de Bourbon, Cardinales ex familia Lotharingica audierunt Cardinales Lotharingi, præ memoriæ & magnus ille Episcopus Passaviensis, ex Comitibus modo Principibus de Lamberg, dictus erat Cardinalis de Lamberg, Modernus Christianus Augustus Dux
Hh 2 de

de Saxen-Zeiz, vocatur simpliciter Cardinalis Saxo, vel de Saxonia. neque etiam cardinalis insignibus suis apponere audet pileum vel coronam Ducis aut Principis; quorum omnium ratio est, quod in dignitate cardinalitia jam involvatur ac exprimatur omnis prerogativa, quae alias ex appellatione vel insignibus Ducis aut Principis provenire possit.

§. III.

DE JURE CARDINALIUM QUOAD EPISCOPATUS,
ET POTESTATE IN EORUM TITULIS.

SUMMARIA.

1. An promotus ad Cardinalatum possit retinere Episcopatum, quem ante obtinebat, & proponitur ratio dubitandi? 2. Adstruitur sententia affirmativa. 3. An Cardinalis in Ecclesia in qua habet Canonicatum, in eadem possit eligi vel postulari debeat in Episcopum? 4. An Cardinalis qui obtinet Episcopatum teneatur ad residentiam in sua Ecclesia? 5. Quot mensibus per annum Cardinales Episcopi aut alii Episcopi à suis Ecclesiis

possint abesse? 6. An Cardinales non habentes Episcopatum teneantur residere in Curia Romana? 7. Pena non residentium quanam sit? 8. Quam potestatem habeant Cardinales in suis titulis sive Ecclesiis sui tituli? 9. Cardinales in suis titulis habent jus excommunicandi, suspendendi, interdicens, visitandi &c. 10. An habeant jus instituendi? 11. An in suis titulis possint uti insignibus Pontificalibus?

¶ Quæres 1. An Cardinalis possit retinere Episcopatum, quem ante suam promotionem obtinebat.

Ratio dubitandi est 1. quia Cardinales tenentur consulere & assistere Papæ. c. fundamenta. §. decet. de Elect. in 6. 2. tenentur in suis titulis & Ecclesiis urbis personaliter residere, ita ut etiam à tantæ dignitatis fastigio sint deponendi, si ad eas adire, contumaciter detre-

ctaverint. c. 2. de cleric. non resid. Episcopatus autem similiter continuam residentiam requirit c. qualiter eod. tit. c. pervenit cum seqq. caus. 7. quest. 1. nam durum est, dimittere Ecclesiam sine sponso, & paria sunt non habere sponsum vel prorsus inutilem. cap. 2. de translat. Episcop. in quo Capitulo summus Pontifex noluit admittere postulationem factam de cardinali ad Archi-

ergo si decretum illud servari debeat in cardinalibus, ut initio præcipitur, ibi: *quod in quibuscumque personis manifeste sequitur, ut si quis Cardinalis eo tempore obtinuisse plures Cathedralis potuisset aliis dimissis unam retinere, & ita concilium non habuit cardinalatum incompatibilem cum episcopatu.*

Prob. 3. *Trident. c. 1. sess. 23.* in decreto de personali residentia episcopi in diœcesi, ait: *Comprehendi etiam S. R. E. cardinales, & ita non obscure admitat cardinales posse obtinere episcopatum, alioquin non obligasset eos ad personaliter residendum in episcopatu, sed potius obstrinxisset ad episcopatum dimitendum, ut facit de pluribus cathedralibus. in d. c. 17.*

Quamvis igitur dicta procedant jure hodierno, advertendum tamen est, quod dicit Fagnanus *loc. cit. n. 33.* Fateor inquit Consultus fore, ut abundè suppeditentur S. R. E. cardinalibus necessaria, ad eorum dignitatem decenter sustinendam, & Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis præficiantur pastores, qui in illis possunt assidue residere, sine detrimento Ecclesie universalis, nam cum cardinales Romani Pontificis in executione sacerdotalis officii jure levitico coadjutores existant, *c. per venerabilem S. rationibus, qui filii sunt legitim.* & eorum consilio apud eum universalis Ecclesie administratio nitatur, ut habetur in Concil. Trident. *c. 1. S. que vero. sess. 25.* & ita propterea instantia car-

dinalium sit sollicitudo omnium Ecclesiarum, debeat commune bonum præferri bono particularis Ecclesie; interim si consilium Fagnani rigorose foret observandum, multum dubitarem, quin plures episcopi Germani, qui simul sunt potentissimi S. R. I. Principes, quales sunt Archi-Episcopus Salisburgensis, Episcopus Monasteriensis, Episcopus Leodiensis, opibus & territoriiis potentissimi, Episcopus Herbipolensis, qui non solum titulo, sed potentia etiam se Franconie Ducem monstrat, ad dignitatem cardinalitiam aspirarent.

Quæres 2. *An Cardinalis possit eligi aut postulari debeat, si sit assumendus in Episcopum Ecclesie, in qua viget jus eligendi?*

Contingentia facti hæc fingi poterit: si Titius canonicus assumatur ad purpuram cardinalitiam & moreretur episcopus illius ecclesie cathedralis vel metropolitanae, in qua sibi retinuit canonicatum, an inquam Titius canonicus & cardinalis per viam electionis vel postulationis ad vacantem dignitatem episcopalem debeat pervenire; contingentia facti accidere posset v. g. in metropolitana colonienfi ecclesia, cujus præpositus & canonicus est eminentissimus cardinalis de Saxen-Zeitz, an inquam ille mortuo archipræsule eligi vel postulari deberet ratione cardinalatus, idem quæri posset de eminentissimo cardinale de Schrattenbach, episcopo Ollmucensi, si ille sibi retinuit cano-

nonicatum in metropolitana Salisburgensi, ex qua assumtus est in episcopum Ollmucensem.

In hac quaestione igitur, an cardinalis ad episcopatum vacantem eligi vel postulari debeat, distinguendum erit, an nimirum cardinalis jam habeat alium episcopatum vel non? igitur quoad cardinalem episcopum citra controversiam respondendum est, talem non eligi sed postulari, quia sicut simplex episcopus ad aliam cathedrallem non eligitur, sed postulatur, ut patet ex *c. bona memoriae* & *cap. fin. de Elect.* ita & episcopus cardinalis sive demum sit episcopus cardinalis eo sensu, quod sit ex episcopis cardinalibus, sive quorum tituli sunt episcopatus, sive alio sensu, quod sit S. R. E. cardinalis & in alia particulari non titulari ecclesia v.g. Ollmucensi episcopus.

Quoad posteriorem casum major est controversia inter DD. & quidem Hostiensis in *c. bona memoriae de Elect. n. 1.* tenet cardinalem presbyterum esse postulandum quia habet alas ligatas ut in *cap. 2. in fin. de Cleric. non resid.* sicut Episcopus, ut in *d. c. fin. in fin. de Elect. cap. nisi cum pridem. de Renunciat.* Sed

Respondendum est: cardinalem in casu hoc posteriori debere eligi non postulari; ratio est, quia hodierno jure ex ante dictis Cardinalatus non est incompatibilis cum episcopatu. ergo non per viam postulationis sed electionis assumendus prob. consequ. quia ideo episcopo

unius ecclesiae debet ad aliam ecclesiam per postulationem promoveri, quia duarum ecclesiarum regimen & gubernatio videtur incompatible, ergo ubi cessat incompatible, ibi cessat postulandi necessitas; verbo: ideo necessaria est postulatio quoad episcopum, quia nemo de jure potest habere duos episcopatus, at vero cardinalis potest habere episcopatum, ergo in ordine ad hunc obtinendum, postulatione opus non est:

Quæres 3. *An Cardinalis ad Episcopatum promotus, vel qui obtinet Episcopatum teneatur ad residentiam in sua ecclesia?*

Resp. 1. S. R. E. Cardinales illi, 4 qui habent episcopatus prope urbem, etiamsi in illis vel in suis titulis resederint, non excusantur a residentia in cathedralibus & majoribus ecclesiis, quibus præfecti sunt, nec ex eo, quod Papa eos videat & toleret, & ad functiones etiam pontificales & solennes admittat, Fagnanus in *cap. qualiter de clericis non resid. n. 22.* ratio desumitur ex novissima constitutione Urbani VIII. quæ incipit sancta synodus sub die 12. decembris 1634. in qua sanctitas sua primo innovat decreta concilii tridentini, constitutiones apostolicas & decreta consistorialia, & in specie Gregorius XIII. declaravit decreta concilii & penas ejusdem habere locum etiam in S. R. E. cardinalibus. variæ præterea editæ sunt quoad ejusmodi residentiam confi-

constitutiones Pii IV. Pii V. Clementis VIII.

Resp. 2. Sanctitas sua jubet, ut praefecti cathedralibus & majoribus Ecclesiis, etiam si S. R. E. cardinales sint, se itineri committant & ad residentiam conferant infra unum mensem, si in urbe existant, infra duos si extra urbem in Italia, si extra Italiam infra quatuor computandos à die publicationis Bullae, nondum autem praefectos intra terminos superius expressos computandos à die eorum promotionis, indeque nec supra dictos, nec alios jam residentes abscedere absque licentia per breve & per literas missivas, sub poena interdicti ab ingressu Ecclesiae, amissionis fructuum & facultatum testandi ipso jure incurrenda, nec non privationis à regimine & administratione Ecclesiarum, aliisque poenis, arbitrio sanctitatis suae infligendis.

Resp. 3. Sanctitas sua indulget cardinalibus praefectis cathedralibus aliisque majoribus Ecclesiis, ut ex causa vacationis sedis Apostolicae possint non solum ad locum conclavis accedere, dummodo à dioecesibus non discedant nisi habita certa notitia mortis Pontificis, sed etiam in urbe commorari usque ad peractam electionem & per duos menses post coronationem Pontificis.

5 Resp. 4. Sicut omnibus episcopis ita cardinalibus ex aequa causa singulis annis à suis Ecclesiis abesse licet per trimestre juxta Concil.

Trident. c. 1. sess. 23. poenae autem quae cardinales non residentes in suis episcopatibus concernunt, eadem sunt cum illis, quae concernunt episcopos, de quibus infra &c.

Ex dictis patet, cardinales, qui obtinent episcopatus vel Archiepiscopatus debere potius residere in Ecclesia episcopali vel Archiepiscopali v. gr. Passaviensi, Ollmucensi, quam in Curia Romana.

Quod si verò cardinalis similem episcopatum non habeat, tenentur in suo titulo & sic in Romana Curia residere, ut patet ex cap. ex gestis 2. de Clericis non resid. cujus ratio est, quia cardinales debent summo Pontifici assistere quasi oculi & aures, ac nobilissimae sacri capitis partes, & praecipua illius membra à spiritu sancto constituta, prout constat ex constitutione Sixti V. quae incipit: *Postquam verus. in proem. tom. 2. Bullar. pag. 260. ibi: Sacrosancta Ecclesia Romana Cardinales representantes personas Ss. Apostolorum dum Christo Salvatore regnum DEI predicanti, atque humanae salutis mysterium operanti, ministrarent, Eisdem Pontifici in executione sacerdotalis officii, & in dirigenda ipsa Ecclesia Catholica, cui praest, consilarii & coadjutores assistunt.* tum quia cardinales dicuntur collaterales Papae cap. excommunicatis. de officio legat. adeoque ab illius latere se subducere nequeunt, neque à capite licet membra recedere, cap. cum non liceat. de rescriptis.

Cate.

7 Cæterum adversus Cardinales extra Romanam Curiam commorantes (intellige juxta superius dicta, nisi habeant alibi in partibus Episcopatum) aut ab ea sine licentia Papæ recedentes, Pontifices maximi sanctiones diversas ediderunt, nam Leo X. in Constitutione incipiente: *Sub pœna*, edita in concilio Lateranensi §. 28. in Bullar. tom. 1. pag. 474. sanxit in hæc verba: *Et cum cardinalis officium imprimis versetur in frequenti Romani Pontificis assistentia & sedis apostolica negotiis, propterea statuimus, ut omnes cardinales in Romana curia resideant, & qui sunt absentes, si in Italia, intra sex menses, si extra Italiam, infra annum a die publicationis presentis constitutionis revertantur, alioquin fructus beneficiorum, & omnium officiorum suorum emolumenta amittant, omnibusque privilegiis generaliter & specialiter cardinalibus concessis, quamdiu absuerint, omnino careant, exceptis tamen illis, quos ratione officii ab apostolica sede injuncti vel de Romani Pontificis mandato aut licentia vel jussu metu, aut quavis alia legitima causa impediente vel agrotationis abesse contingat, privilegiis, indulgentiis & immunitatibus eisdem cardinalibus concessis, & in bulla nostra sub data coronationis nostræ contentis, & expressis, in suo robore nihilominus permanentibus.*

Similiter Paulus III. edidit decretum consistoriale, quo cardinales jubentur residere in curia Romana, quod si non fecerint, privantur ipso facto durante absentia omnibus in-

dultis & privilegiis, quibus alii cardinales gaudent & gaudere possint, nisi cum expressa licentia Papæ apud ecclesiam Metropolitanam seu cathedralem, cui præsumunt resideant, ut refert Fagnanus in cap. *ex gestis de clericis non resid.* n. 21.

Novissime vero emanavit constitutio Innocentis X. de dato Romæ sub annulo piscatoris, die 19. Februarii, 1646. Pontificatus sui anno secundo, quæ incipit, cum juxta Super recessu S. R. E. cardinalium a statu ecclesiastico sine licentia S. Pontificis & reditu eorum ad Romanam curiam, in qua statuitur, quod cardinales, qui post bullam non obtenta Papæ licentia se transferent extra statum ecclesiasticum, primo privilegiis & indultis omnibus etiam beneficia conferendi, pensiones & fructus ecclesiasticos transferendi, & facultate testandi privantur, ab ingressu Ecclesiæ interdiciantur, ultra alias pœnas à Papa infligendas, & mandatur deveniri ad sequestrum fructuum officiorum & beneficiorum, nec non pensionum ac fructuum reservatorum. 2. si infra sex menses à die recessus ad Curiam non redierint, privantur iisdem fructibus arbitrio Papæ distribuendis. 3. si non redierint infra alios sex menses immediate sequentes, ultra memoratas pœnas privantur omnibus officiis, beneficiis, pensionibus & fructibus reservatis, ut supra distribuendis,

li

Quæres

8 Quæres 4. *Quam potestatem habeant Cardinales in suis titulis sive Ecclesiis sui tituli?*

Resp. Cardinales habent in suo titulo & Ecclesiis titulo subjectis jurisdictionem episcopalem, ut tenent Barbosa *J. E. V. lib. 1 c. 4. à n. 35. & n. 71. Fagnanus in cap. bis que n. 15. de Major. & obedient. D. Francisc. Schmier. tract. de jurisdic. cap. 4. sect. 1. §. 9. 53.*

Colligitur & probatur hæc responsio clare ex *cap. bis que ii. de major. & obed. & quamvis Gregorius XIII. dixerit se nolle, ut ea, quæ episcopis concessa sunt à Concilio Tridentino, competant cardinalibus in suis titulis, eo quod habeant quasi episcopalem jurisdictionem, ibi tamen vere & propriè non sint episcopi; nihilominus extra facultates à Concilio concessas, salva manet jurisdictio cardinalium in suis titulis ad præscriptum hujus decretalis, adeoque cardinalis Vicarius urbis non cognoscit de causis sub titulis cardinalium.*

Procedit hæc responsio non solum in cardinalibus presbyteris, sed etiam diaconis, ut est expressum in constitutione Sixti V. quæ incipit *Religiosa; Idibus Aprilis 1589. in Bullario tom. 2. pag. 571. ubi in Princ. sic legitur: Præter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus urbi finitimis præsent, singulis presbyteris & Diaconis Cardinalibus propriè in urbe Ecclesie, tituli scilicet & Dianæ cum suis Clero & populo, ac quasi Episcopali ju-*

risdictione, in spiritualibus & temporalibus regenda & administranda committantur. Ex quo

Infertur 1. Cardinales in suis titulis, Diaconis & capellis subjectis habere jus corrigendi, excommunicationis suspensionis, & interdicti sententias fulminandi, quod etiam est expressum in *d. c. bis que ii. de M. & O. item jus visitandi in suis titulis sicut episcopus in suo episcopatu, ut tradit Felinus in cit. cap. bis que num. 1. & patet ex constitutione Leonis X. incipiente: supernæ §. 19. in Bullario tom. 1. pag. 474. ubi disponitur, ut cardinales tituli sui loca, si præsertes in Curia fuerint personaliter, si vero absentes, per vicarium idoneum semel saltem singulis annis visitent clericos & populos Ecclesiarum titulo suo subjectarum, cum diligentia inquirent, vigilantque circa cultum divinum, & bona dictarum Ecclesiarum, moresque imprimis & vitam clericorum parochianorum solerter exquirant, eosque omnes & singulos ad rectè honesteque vivendum paterno moneant affectu.*

Infertur 2. Cardinales habere jus¹⁰ instituendi in suis titulis; cui etiam accedit textus in *cap. querelam. de Elect. ibi: à Cardinali S. Susannæ, cui eadem Ecclesia tanquam capella suo titulo in spiritualibus est subjecta, canonicè fuerat institutus. unde possunt conferre beneficia suarum Ecclesiarum titularium, si scilicet sint præsertes in Curia; alioqui solus*

Papa

Papa confert, nec non resignationes acceptare & admittere. Fagnanus *loc. cit. num. 23.* alique ab eo relati,

II Infertur 3. Cardinales posse insigniis Pontificalibus uti in suis titulis, & solennem benedictionem impertiri more episcoporum, licet episcopi non sint, ut notat Hostiensis & Joan. Andr. *in cap. 1. de supplem. neglig. prelat. & Felinus in cap. inter Monasterium n. 2. de re jud.*

Infertur 4. Cardinales posse suis subditis & familiaribus in suis titulis primam tonsuram & minores ordines conferre, secundum Hostiens. & Joan. Andr. *loc. cit.* Felinum *in d. cap. inter monasterium num. 2.* dummodo tamen sint sacerdotali

charactere insigniti; alias secus. per ea, quæ habentur in *can. quoniam dist. 69. cap. cum coningat. de etat. & qualit.* Reliqua vero quæ ordinis episcopalis sunt, exercere non possunt, nisi sint episcopi. Fagnan. *loc. cit. num. 26.* alique ab eo relati, qui dicunt cardinales in suis titulis haberi loco episcoporum quoad jurisdictionalia, & quoad episcopalia, si sint episcopi, alias quoad jurisdictionalia solum.

Infertur 5. Cardinales in suo titulo habere curam tam fori penitentialis, quam contentiosi. concordat *cap. his que, de major, & obed.*

§. IV.

DE POTESTATE COLLEGII CARDINALITII SEDE PAPALI VACANTE.

SUMMARIA.

1. Ante Concilium Lugdunense quam potestatem habuerint Cardinales sede Papali vacante. 2. Quam potestatem habuerint post Concilium Lugdunense sede vacante. 3. An potuerint sede vacante mittere legatum. 4. An potuerint legatum à Papa missum revocare? 5. An possint Concilium convocare? 6. Quam potestatem Collegium Cardinalitium sede vacante habuerit post Concilium

Viennense. 7. Quæ potestas competat post Bullam Pii IV. 8. An jurisdictionio, quam habent congregationes Cardinalium expiret sede Papali vacante? 9. Recensentur quidam alii, quorum jurisdictionio non expirat sede Papali vacante. 10. Jurisdictionio congregationum Cardinalibus in Conclavi existentibus quiescit quoad ea, quæ expediuntur per subscriptionem Cardinalis Prefecti Congregationis.

li 2

Quares

Quæres I. An Collegium Cardinalium in Romana Ecclesia vacante succedat in Jurisdictione Papali?

Quoad cardinalium potestatem sede Papali vacante diversa fuit modo restrictio mox ampliatio, prout diversa successerunt tempora, juxta quæ mensuranda est cardinalium jurisdictio. Hinc

1 Nota I. Ante constitutionem Gregorii X. editam in concilio Lugdunensi ac relatam in *cap. ubi periculum, de Elect. in 6.* Regula erat, quod Ecclesia Romana vacante ad collegium cardinalium jurisdictio devolvatur, unde veteres canonistæ quotquot scripserunt ante Bonifacianam compilationem libri sexti Decretalium jurisditionem tribuerunt collegio purpuratorum, qui tamen ipsimet canonistæ quoad hanc jurisditionis devolutionem diversimode senserunt; quidam enim dixerunt cardinales censerique vice capitis. Hugo in *can. nullus dist. 71.* alii statuerunt cardinales supplere defectum mortui Papæ *can. si quis ead. dist. Bartolus in l. ubi sunt. n. 3. ff. de Tut. & Curat. Dat.* item cardinales tempore vocationis obtinere vicem curiæ *l. nominationum ff. de Decurion. Laurent. in d. can. nullus,* alii dixerunt Cardinales fungi vice Archi-episcoporum, si sint cardinales episcopi, & cæteros non episcopos fungi vice episcoporum. præterea Hostiensis in *cap. cum ex eo, num. 21. de penit. & remiss.* ait Pontifici vita functo, electio in eum potestatis residere penes

Romanam Ecclesiam, quæ mori non potest, *c. liberti caus. 12. quest. 2.* nec unquam potest esse nulla, *can. pudenda. caus. 24. quest. 1.*

Ante constitutionem igitur Gregorii X. cardinales habebant Romana Ecclesia vacante potestatem jurisdictionis Papalis in exercitio, non quidem indistincte, sed in iis tantum, quæ sunt necessaria, vel utilia Ecclesiæ seu Republicæ, quibus est omnino providendum. Secundo: ante concilium Lugdunense sive constitutionem Gregorii X. cardinales sede vacante habebant in Ecclesia universali jurisdictionem illam, quam habet in Provincia Legatus Apostolicæ sedis, quæ potestas tamen à quibusdam adhuc controvertitur.

Tertio: collegium cardinalium tempore vacationis nullam habebat jurisdictionis potestatem in his, quæ ratione excellentiæ, dignitatis & præminentiæ ac prærogativæ Romano Pontifici sunt reservata.

Quarto: collegium cardinalium ante concilium Lugdunense nec episcopos creare, nec electos confirmare, nec jam creatos deponere poterat. Glossa in *Can. nullus 2.* quam ibi sequuntur Archid. & alii *dist. 79.*

Quinto: collegium cardinalium nec illo tempore poterat creare cardinales nec habitare cardinales per Papam privatos seu depositos, etiam ad vocem Hostiensis, in *summa de penit. & remiss. de cuius confiscandum in verb. Cardinales.* Eagnanus in

in cap. cum olim, n. 35. de Major. & obed.

2 Secundum tempus mensurandæ Jurisdictionis, quam habebant cardinales sede vacante, fuit a tempore concilii Lugdunensis, usque ad concilium Viennense. Porro in concilio Lugdunensi emanavit constitutio Gregorii V. quæ refertur in cap. ubi periculum, de Elect. in 6. in qua constitutione prohibetur Cardinalibus ne te ingerant nisi in negotio electionis d. cap. §. iidem quoque, ibi: *Cardinales acceleranda provisioni sic vacent attentius, quod se ne quaquam de alio negotio intromittant; nisi cum limitatione ibidem addita: nisi necessitas adeo urgens incideret, ut oporteret cardinales de terra Romane ecclesie defendenda, vel ejus parte aliqua providere, vel nisi aliquod tam grande, & tam eminens periculum immineret, quod omnibus & singulis cardinalibus presentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum, ex qua limitatione.*

3 Infertur I. quod collegium cardinalium pro terra ecclesie defendenda, vel evidenti periculo, potuerit sede vacante mittere legatum cardinalem, ut advertit Paulus de Eleazaris in Clement. ne Romani de Elect. Cardinalis tamen sic missus non fuisset proprie cardinalis cum imperio & jurisdictione, hoc enim est de pertinentibus ad supremam authoritatem summi Pontificis, ut notat speculator in tit. de Legatis §. quædam n. 2. sed potius erit nuntius, ne habeat jurisdictionem,

sed nudam defensionem, quo fit ut si cardinales crearent Pontificem absentem, tunc possent quidem ablegare ex Cardinalibus ad novum electum ad urbem reducendum, illique expensas necessarias constituere de redditibus Romanæ ecclesie. Fagnannus loc. cit. n. 43.

Infertur 2. Quod collegium cardinalium possit legatum missum a Papa revocare ex magna & evidenti causa argum. cap. ne pro dilatione, de penit. & remiss. alias secus.

Infertur 3. quod duobus de papatu contententibus & generale concilium convocare reuuentibus, convocatio possit fieri a collegio cardinalium. ut ex facto respondit cardinalis Zabarella in Consil. 150. incipient in questione, n. 6. in 3. quest. quoniam cum sint in possessione eligendi Romanum Pontificem, cap. licet de vitanda, de Elect. per consequens ad eos spectant omnia quæ sunt electionem consequentia. cap. Cupientes §. ad hæc §. si vero de Elect. in 6. neque etiam in dicto cap. ubi periculum, interdicuntur ea, quæ concernunt electionis negotium, sed alia extrinseca. cum igitur convocatio concilii generalis hoc casu sit necessaria ad sedandum schisma, merito ad collegium cardinalium pertinet, tanquam aliquid annexum & accessorium provisioni; quod in casu electionis nulliter & simoniace celebrata etiam est expressum in bulla Julii II. quæ incipit cum tam divino §. & respicitur in Bulla Sixti IV. fol. 401.

Ter-

6 Tertium tempus est post concilium Viennense, in quo est edita constitutio Clementis V. quæ refertur in *Clement. ne Romani de Elect.* qua irritum & inane decernitur, quidquid potestatis & jurisdictionis ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, collegium cardinalium Romana Ecclesia vacante duxerit exercendum, atque ita gesta a cardinalibus contra hanc prohibitionem non sustinentur amplius ex vi autoritatis præexistentis, quia clausula decreti irritantis operatur, ut quidquid contra fit, nullum sit ipso jure, ut est textus *cap. penult. de prebend. in 6.* atque ita juxta *d. clement. a tempore concilii Viennensis nulla jurisdictio & potestas Papæ transiit in collegium cardinalium sede vacante, & in hoc ipsorum collegium est deterioris conditionis, quam inferiora collegia, in quæ transit.* Joan. de Imola in *dict. clement. ne Romani. in 7. notab. n. 14.* Ratio autem disparitatis inter cardinales & reliqua collegia hæc assignatur, quia ob accelerandam provisionem ecclesiæ, in cuius tardatione imminet periculum, speciale quid statui debuit.

In hac *Clementina ne Romani* excipitur casus urgentis necessitatis & grandis periculi imminenti, prout etiam excipiebatur in *dict. cap. ubi periculum. de Elect. in 6.* Unde quæ poterat collegium cardinalium tunc temporis exercere, poterit etiam exercere post hanc *Clementinam* & concilium Viennense; qua-

propter cum officium camerarii & penitentiarium papæ, eo mortuo non exspiret, iisdem deficientibus poterat collegium cardinalium in eorum locum alios subrogare pro tempore vacationis. ut disponitur in *dict. Clement. ne Romani §. eo tamen proviso.*

Quartum & ultimum tempus est post bullam Pii V. editam 7. Idus Octobris 1562. incipientem in *eligen-7 dis*, ubi ita statuitur: *Secus autem vacatione durante collegium cardinalium in iis, quæ ad Pontificem maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut Jurisdictionem habeat, neque gratiam neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur.* ex qua constitutione rursus patet, quod omnis Jurisdictionis exercitium sede papali vacante cardinalibus ademptum, excepto rursus casu urgentis necessitatis, & magni imminenti periculi, ubi tamen advertendum: Quænam sit differentia inter constitutionem Gregorii X. in concilio Lugdunensi editam & hanc constitutionem Pii IV. cum utraq; à prohibitione exercendæ jurisdictionis excipiat casum urgentis necessitatis, nimirum constitutio Gregorii X. requirebat, ut collegium cardinalium unanimiter sive in concordia judicaret de casu necessitatis, & unanimiter, quæ statuenda essent, decerneret; ac proinde unius cardinalis contradictio vel dissensio poterat impedire, Fagnanus

loc. cit. n. 61. at vero juxta constitutionem Pii IV. in §. 6. sufficiunt duæ tertiæ cardinalium, per quos causa necessitatis judicanda & discernenda erit. 2. per constitutionem Gregorii X. sufficiebat, ut cardinales quoad causam necessitatis quomodocunque consentirent, at vero juxta constitutionem Pii IV. d. §. 6. requiritur, ut duæ tertiæ per occulta suffragia consentiant, ex quibus igitur liquet & formatur responsio ad quæstionem superiorem, scilicet, quod spiritualis jurisdictio papalis Romana Ecclesia vacante minime devolvatur ad collegium cardinalium, sive quod idem est, cardinales non succedant in Jurisdictione spirituali Pontifice defuncto.

Quemadmodum vero Romæ sunt diversæ cardinalium congregationes, quas supra *dissert. 4.* recensui, hinc ulterius.

Quæres 2. An mortuo summo Pontifice jurisdictio congregationum S. R. E. cardinalium expiret, vel sit suspensa?

8 Resp. Jurisdictio congregationum per obitum Papæ non expirat. ratio 1. est, quia jurisdictio ordinaria non expirat per mortem Papæ. *cap. 2. de offic. legat. in 6.* ubi Clemens IV. declarat legatos apostolicæ sedis habere jurisdictionem ordinariam, ac proinde illorum officia mortuo Papa non expirare; atqui etiam jurisdictio congregationum cardinalium est ordinaria: tum quia data est congregationibus per constitutionem Sixti V. edita 3. Calend. Febr. 1587. Jurisdictio autem quæ

defertur a lege vel statuto, est ordinaria l. & quia ff. de jurisdic. omn. judic. l. 1. ff. de offic. ejus cui demandata est jurisdic. tum quia eadem jurisdictio est ad universitatem causarum seu negotiorum, ut patet ex eadem constitutione Sixti V. in qua instituuntur quindecim congregationes S. R. E. cardinalium, cum jurisdictionum & facultatum partita concessione ad faciliorem universæ reipublicæ christianæ, statusque ecclesiastici & Romanæ curiæ negotiorum & causarum expeditionem, ut legitur in præmio §. 1. & §. 2. & constat ex facultatibus cuique congregationi attributis; at vero jurisdictio ad universitatem causarum, vel ad unum negotium universale, est procul dubio ordinaria l. 1. in princ. & §. cum urbem ff. de offic. præfect. urb. l. fin. C. ubi & apud quem, ibi vel certe administrationi, cui & jurisdictio adheret in prima constitutione. ergo

Ratio 2. Quia facultates congregationibus cardinalium attributæ in præcitatis litteris Sixti V. sunt perpetuæ, ut satis aperte cautum reperitur in declarationibus facultatum earundem congregationum postea editis ab eodem Sixto V. in §. 3. in bullario tom. 2. pag. 616. ibi, *graviora vero quacunque ad nos vel successores nostros deferantur, & clarius in §. 8. ibi: ut autem hæc nostra littera quam primum ubique locorum & Gentium innotescant, quas inter alias Apostolicas & perpetuas constitutiones annumeramus &c.*

Ratio

Ratio 3. quia in *Clement. ne Romani* §. *irritum de Elect.* & in constitutione Pii IV. in *Eligendis* §. 6. abdicatur à cardinalibus fede vacante illa tantum jurisdicção, quæ ad Pontificem, dum viveret, pertinebat. Atqui jurisdicção congregationibus attributa in litteris Sixti V. non pertinet ad summum Pontificem dum vivebat, scilicet private, sed ad ipsamet congregationes, inter quas Sixtus V. Pontificiam jurisdiccionem partitus est, ut patet ex iisdem litteris §. 2. ibi: *Pontificium hoc onus Angelicis plane humeris formidandum, inter Senatores orbis terre fratres nostros Cardinales, apta quadam distributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine, & varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter parti decernimus.* ergo talis jurisdicção non censetur à cardinalibus avocata; & consequenter remanet apud illos ut prius; quod enim non mutatur, cur stare prohibeatur? *l. sancimus. C. de testam.*

Præterea licet in *d. §. irritum* & in Bulla Pii IV. *d. §. 6.* denegetur collegio cardinalium omnis jurisdicção, hæc tamen verba non comprehendunt particulares congregationes, quia illæ non constituunt unum corpus universale, nec dici potest collegium cardinalium, sed sunt corpora inter se distincta, nec ulla ex congregationibus facultates exercet nomine collegii, sed suo peculiari nomine, velut inquisitionis concilii, rituum, & aliarum,

prout ex litteris erectionis constabit. Unde cum tali jurisdicção non adaptentur verba constitucionum, consequenter nec earum constitutio adoptari debet. *c. tua, de sponsal. l. 4. §. toties ff. de damno infesto.*

Confirmatur: in concessione jurisdicçãois universalis non venit jurisdicção alteri specialiter demandata *c. studuisti de officio legat.* ita è contrario denegatione & avocatione jurisdicçãois universalis à collegio cardinalium, non includitur jurisdicção particularibus congregationibus specialiter attributa; contrariorum enim contraria est ratio. *l. si ex toto ff. de legat. l. 3. §. fin. l. 4. de adim. leg.* imo congregationibus censeri debet permissum, quod non reperitur expresse prohibitum. *c. illud, caus. 30. quest. 3. l. mutus §. 1. ff. de procurat.*

Ratio 4. quia in eadem constitutione Pii IV. in §. 10. *vers. penitentiarius vero.* limitatur jurisdicção majoris penitentiarii, ita ut extra forum penitentiæ penitus conquiescat & in §. 12. tolluntur facultates cardinalium & prælatorum signaturæ, gratiæ & decernitur, ut illius cardinales & prælati supplicationes & commissiones aliquas, etiamsi supplicantes parvas datas antea obtinuerint, signare non valeant, & officia eorum omnino cessare intelligantur. Hæc autem plane convincunt in generali dispositione prius facta in §. 6. quod collegium cardinalium nullam habeat

beat jurisdictionem in spectantibus ad Papam dum vivit, nullatenus fuisse comprehensas particulares congregationes cardinalium, alias enim opus non fuisset, illarum facultates limitare vel auferre, utpote quæ alias jam fuissent eis ex omni parte ademptæ.

Denique concordat responsioni datæ diuturna observantia subsecuta, nam creato novo Pontifice facultates congregationum non consueverunt renovari, sed fiunt congregationes, prout solebant vivente Pontifice; quod clare demonstrat eas facultates non expirasse, alioquin opus esset nova concessione, quia Jurisdictio semel extincta, etiam causa extinctionis cessante non reviviscit *l. qui res §. arcam. ff. de solut. can. quavis vers. non potest autem. de consecrat. dist. 4.*

Corollarium 1. Hæc quaestio exarfit anno 1644. Romana Ecclesia vacante per obitum sanctæ memoriæ Urbani VIII. & desuper consilium fuit petitum à sacro collegio cardinalium in conclavi existentium, ex ordine dato ad rotas R. P. D. Archi-episcopo Patracen. à secretis sacrae congregationis cardinalium negotiis & consultationibus episcoporum & regularium-proposita.

9 Corollarium 2. Officium Vicarij Papæ ad vitam deputati, ut moris est, per Papæ obitum non extinguitur, quia habet jurisdictionem ordinariam. Gambar. *de auctorit. legat. lib. 9. n. 48.* 2. Idem dicen-

dum de officio camerarii & pœnitentiarj, ut probatur *ex d. clement. ne Romani §. eo tamen præciso. de Elect.* 3. Nec expirat officium auditoris cameræ & mareschalli Pontifice vita functo, ut tenet glossa *in d. §. 10. eo tamen præciso. in verb. expirare.* quia habent jurisdictionem ordinariam, secundum Hostiens. *in cap. quod de bis. de sentent. excommunic. & plures alios relatos à Petro Barbosa in l. cum prætor. §. 1. num. 25. ff. de judic. de auditore cameræ est expressum in Bulla Pii IV. quæ incipit: ad Eximia §. 5. ibi: tua ordinaria auctoritate. in Bullario tom. 2. pag. 48.* 3. Idem ex parte dici potest de auditoribus rotæ, quia illorum jurisdictionis est ordinaria in procedendo, licet sit delegata in sententiando, ut notat gloss. 1. *in clement. auditor. de de rescripti.* Gambar. *dict. tractat. de offic. legat. lib. 6. n. 64.*

Quæres 3. An jurisdictionis Congregationum sede vacante Cardinalibus in Conclavi existentibus, debeat quiescere quoad causas & negotia, quæ in congregatione expediuntur per subscriptionem Cardinalis Præsecti, seu habentis sigillum.

Resp. Affirmative. Ratio, quia *in cap. ubi periculum. §. idem quoque. de Elect. in 6.* præcipitur cardinalibus existentibus in conclavi, ut accelerandæ electioni summi Pontificis sic vacent attentius, ut se nequæquam de alio negotio intromittant; & denuo excipiuntur tantum duo casus, id est urgentis necessitatis pro terra Ecclesiæ vel aliqua
Kk
ejus

eius parte defendenda, & grandis periculi imminentis, quæ exceptio in aliis firmat regulam in contrarium; ita ut imminente electione Papæ, electores non debeant se ad alia convertere, nam pluribus intentus minor est ad singula sensus. *c. diversis. de Cleric. Conjug. l. nemo C. de Assess. in super. in d. c. ubi periculum.* prohibetur quicumque aditus seu accessus ad cardinales, missio nuntii vel litterarum etiam publicè, & vicissim non licet iisdem cardinalibus quemquam admittere, nisi vocatum de consensu omnium pro negotio electionis, ergo necessario sequitur, quod illis non liceat secretarios vel ministros audire, vel scripturas recipere, nec alia expedire negotia particularia congregatio-

num, qua ad Papæ electionem non pertinent.

Corollarium. Negotia quæ in communi forma à solo secretario expediri solent vivente Pontifice, possunt similiter expediri ipso vita functo, quia ex his levibus & ordinariis, quæ à cardinalibus non per se ipsos sed per ministros expediri consueverunt, cessat omnino ratio prohibitionis, de qua *in d. cap. ubi periculum.* Videlicet ne electionis negotium protrahatur.

Corollarium 2. Ex his etiam deducitur, quod liceat cardinalibus tempore reclusionis in conclavi exercere jurisdictionem in suis titulis, non quidem per se ipsos, sed suos vicarios & ministros.

§. V.

QUIBUS MODIS EXSPIRET DIGNITAS
CARDINALITIA?

SUMMARIUM.

1. An Cardinales possint sua dignitati renunciare, & quinam? 2. Recensentur Cardinales, qui cum consensu Pontificis abdicarunt Cardinalatum, & ad statum Laicalem sunt

reverti. 3. An summus Pontifex sine consensu Cardinalium possit deponere Cardinalem? 4. Ponuntur objectiones.

Modi quibus definit cardinalium dignitas, sunt mors, resignatio, depositio, quod morte extinguatur,

dubitari nequit, quia mors omnia jura solvit. *c. 20. Novel. 22. de nupt.* Hinc

Quæres

1 Quæres 1. An Cardinales possint sua dignitati invito Pontifice renuntiare?

Quæstio hæc dupliciter accipi potest, an nimirum cardinalis possit soli dignitati cardinalitæ renuntiare, ita tamen, ut retineat statum ecclesiasticum; secundo an possit renunciare ita, ut ad statum laicalem rursus transire queat?

Quoad primam quæstionis partem affirmativa tenenda est, ex ea ratione, quod quilibet possit renuntiare favori, nisi alterius jus exinde lædatur aut versetur; at vero in renuntiatione tali alterius jus non læditur, cum cardinales præsertim presbyteri & diaconi nullum contrahant spirituale vinculum aut matrimonium. Ergo.

Quoad alteram partem quæstionis rursus distinctione opus est, an nimirum cardinalis, qui cupit suæ dignitati renuntiare, & statum laicalem amplecti, sit sacris ordinibus initiatus vel non? sacer ordo, si quem suscepit, omnino impedit, quin cardinalis sine summi Pontificis dispensatione possit ad laicatum reverti, ut habetur *per cap. 1. de Cleric. Conjug. clement. un. de consang. & affin.* quod si denique sacros ordines non habeat, quin ad laicatum reverti libere queat, nihil impedit *argum. c. 3. de cleric. conjugat.*

2 Interim Pontificem sæpius dispensasse cum Cardinalibus, quæ abdicato cælibatu ad statum Laicalem sunt reversi, abunde perhibent Historiæ; sic Henricus Lusitannus Emanuelis Regis Filius natus

minor, natus ultimo Januarii anno 1552. Archi-episcopus Pragæ, Primas Hispaniæ, postea Archi-episcopus Lisbonensis, & denique primus Archi-episcopus Evorensis, a Paulo III. 1546. creatus cardinalis presbyter tituli quatuor coronatorum, postquam ex ejus fratre nepos Sebastianus Rex Portugalliæ, in Africa contra Æthiopes depugnans quarto Augusti eodem anno occubisset, acceptavit sceptrum & regnum Portugalliæ, & tandem Pontifice consentiente creatus Rex; de quo tamen non reperitur, quod purpuram, pileum & dignitatem cardinalitiam a se abdicaverit, licet quidam meminerint eum intendisse matrimonium, dehortationibus tamen Caroli Porromæi acquiescentem destitisse a proposito, & regiminis sui mensibus 17. diebus, 5. annorum prope 78. obiisse anno 1580.

Postquam anno 1587. die nono Octob. Franciscus de Medices magnus Dux Florentinus sine hærede masculino obiisset, ejus frater Ferdinandus Mediceus natus anno 1550. & a Paulo IV. anno 1561. creatus cardinalis, cum consensu Sixti V. suscepit anno 1558. gubernaculum magni ducatus Florentini, abdicata purpura & cælibatu ecclesiastico, in uxorem duxit die 30. Aprilis anno 1589. Christinam Ducis Lotharingi filiam, qui anno conjugii 21. & ætatis sexagesimo, die 7. Februarii anno 1609. obdormivit, post se relinquens quatuor filios & duas filias, secundus & quartus ejus filius Fran-

Kk 2

ciscus

ciscus & Laurentius obiverunt cœlibes, natu major magnus Dux Cosinus II. erat pater adhuc superstitis magni Ducis Ferdinandi II. tertius frater Carolus Medicus creatus erat cardinalis a Paulo V. anno 1615. tandemque assumptus collegii cardinalitii Decanus, obiit ante annos 40.

Archidux Albertus Imperatoris Maximiliani filius quarto genitus, Rudolphi II. & Matthiæ frater, natus die 11. Octobris anno 1550; creatus a Pontifice cardinalis Diaconus titulo sanctæ crucis in Hierusalem. anno ætatis suæ decimo octavo a Philippo II. Hispaniarum rege anno 1584. denominatus Prorex Portugalliæ, & anno 1595. factus Archiepiscopus Toletanus, nondum tamen consecratus, fratri suo Archiduci Ernesto, Pro Regi in Belgiis mortuo anno 1595. successit in administratione, & demum consensu Clementis VIII. anno 1595. pileum cardinalitium in æde B. Virginis Hallensi deposuit, ac Hispaniarum infantem Isabellam Claræ Eugeniæ matrimonio sibi junxit.

Ejusdem rei novissimum nobis præbet exemplum cardinalis Franciscus Maria Medices, qui similiter purpuram exuit, & in thori sociam duxit Ludovicam ex principibus de Guastalla, à qua tamen eum mors brevi avulsit die 3. Febr. anno 1711.

5 Quæres 2. An S. Pontifex possit inconsulto collegio cardinalium aliquem Cardinalem a dignitate deponere?

Disputat hanc quæstionem in utramque partem Andreas Barbatia tract. de præstant. Cardinal. quæst. 8. per tot. & tandem concludit pro opinione negativa & n. 6. pro se allegat Hostiensem in cap. ex gestis n. 1. de cleric. non resid. & alios authores quam plures, ex ea ratione, quia in dicto cap. ex gestis legitur Anastasius presbyter cardinalis tituli beati Marcelli ab omnibus canonicè depositus, adeoque non a solo Papa. Interim

Resp. Papam de honestate non debere cardinalem deponere sine fratrum consilio, quemadmodum nec alia ardua sine horum consilio expedire debet. c. unic. de Schism. in 6. ibi de fratrum nostrorum consilio deposuimus a cardinalatu &c. adde cap. ad Apostolica, de jurejur. in 6. Dixi: de honestate, equidem de plenitudine potestatis Papa potest absolute ardua expedire, cardinales deponere, sine ulla requisitione fratrum. Alexand. de Nævo in c. ex gestis. de cleric. non resid. n. 12. Decius in rubric. de Constit. in 2. lect. n. 10. Fagnanus in dict. cap. ex gestis, de cleric. non resid. n. 3.

Objicies dict. cap. ex gestis. de cleric. non resid. cardinalis Anastasius fuit depositus ab omnibus in synodo, ergo solus Papa nequit deponere. Explico antec. fuit depositus ab omnibus: de necessitate N. de honestate C. vel fuit depositus ab omnibus approbantibus C. quasi omnes deposuissent, & non solus Pontifex id fecisset. N. quia

quia in summo pontifice, non autem in concilio residet plenitudo potestatis.

Objicies 2. cap. per venerabilem §. rationibus, qui filii sint legitimi. Ubi Pontifex ait, plenam in temporalibus gerimus potestatem, nimirum

quoad temporalia ecclesiarum. Ergo si pontifex plenam gerat potestatem, poterit sine collegio cardinalium consulto deponere cardinalem. Dist. Conseq. ut ante, de plenitudine potestatis C. de congruentia & honestate N.

SECTIO II.

DE

PATRIARCHIS, ARCHIEPISCOPI, ET EPISCOPI IN GENERE.

§. I.

QVINAM DICANTUR PATRIARCHÆ, ET QVOTNAM SINT?

SUMMARIA.

1. An Patriarchæ sint in dignitate præferendi Cardinalibus? 2. Patriarcha quis dicatur? 3. Patriarchæ alii sunt principales, alii mi-

nus principales. 4. An sit differentia inter Patriarchas & Primate? 5. Quinam hodiecum gaudeant titulo Primatum?

Cardinales velut summos in dignitate ecclesiastica post summum Pontificem Romanum excipiunt Patriarchæ, quamvis Petrus a monte in sua Monarchia concil. quest. 5. n. 2. putaverit, quatuor sedes Patriarchales de jure præferendas esse presbyteris cardi-

nibus; quia Alexander III. in cap. constitutis. de appellat. in superscriptione præponit Patriarchatum Grandensem presbytero cardinali S. Vitalis, arguendo ab ordine litteræ. Patriarchas tamen cardinalibus esse postponendos colligitur ex cap. 14. de Elect. olim tam patriar-

Kk 3

triar-

triarchas cardinalibus fuisse prælatos affirmat P. Engel §. 4. *in princ. de Major. & obed.* Imo patriarcha Hierosolymitanus, qui simul est canonicus in Basilica S. Petri Romæ fedet post canonicos ante illum receptos; teste Fagnano *in cap. postulasti. de Concess. præbend. n. 28.*

2 Patriarcha græce *Summus* seu Princeps patrum appellatur, teste Ifidoro *in can. clericos 1. vers. patriarcha dist. 21.*

3 Patriarchæ autem alii sunt Principales, alii minus principales. Principales olim fuerunt quatuor in ecclesia: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus; quorum tres posteriores quidem tempore sunt priores sunt, sed Constantinopolitanus primus nominatur, propter residentiam Imperatorum Græcorum in urbe Constantinopolitana. Minus Principales Patriarchæ dicuntur, qui inter latinos Romani Pontificis indulgentia, vel ex inveterata consuetudine patriarchale nomen sibi vindicant, tales sunt Patriarcha Aquileiensis, Venetus, Æthiopiæ, & Indiarum.

Inter Patriarchas & Primates nullam esse diversitatem, licet diversa sint nomina probant *can. provincia 1. can. nulli. 2. dist. 99. cap. duo 9. de offic. jud. ordin. id tamen intelligit Barbosa de offic. & potestat. Episcop. cap. 6. n. 7. & seq. de patriarchis minoribus & minus principalibus; eosque a primatibus non differre censer, agnoscit autem differentiam*

inter primates & patriarchas majores; equidem potestas patriarcharum majorum hæc erat, quod ordinarii haberentur omnium Archiepiscoporum & episcoporum sui districtus, atque ab his appellationes jure receperint, & crucem non tantum in suo patriarchatu, sicut Archiepiscopi in sua provincia, sed ubique extra præsentiam summi Pontificis vel legati ejusdem a latere, præ se ferre potuerint. *cap. 23. clement. 2. de privilegiis.* sed postquam venerunt gentes in hereditatem Domini & polluerunt templum sanctum ejus psal. 78. hi ipsi quatuor patriarchatus Christianorum manibus sunt ab infidelibus erepti. Vide P. Engel §. 4. n. 24. *de major. & obed.*

Primates, quos patriarchas minores textus *in can. 1. can. 2. dist. 99. cap. 9. de offic. jud.* vocant, sunt quidam Archiepiscopi potentiores & majores Metropoles regentes, sed quod aliquis patriarcha minor vel primas appelletur, nihil in effectu tribuit, sed tantum auget titulum, qualem tamen jurisdictionem patriarchæ latini defacto habeant, ex specialibus eorum privilegiis & consuetudine singulorum locorum petendum erit.

Titulum primatis sibi in Germania olim vindicavit Archiepiscopus Magdeburgensis, titulo hoc in Archiepiscopatum Salisburgensem hodie dum translato. Primas audit in Hispania Archiepiscopus Toletanus, & in Lusitania Bracharensis; in Gallia hoc titulo sunt decorati

rati Archi episcopus Bituricensis, Lugdunensis, Arelatensis, Vionensis; in Italia Pisanus; in Polonia Gnesensis; in Hungaria Strigomensis. Wiestner *ad tit. de offic. judic. ordinarii n. 45.*

§. II.

DE JURE ARCHIEPISCOPORUM.

SUMMARIUM.

1. Archi-Episcopi quinam dicantur?
2. Recensentur Episcopi Itali. 3. Episcopatus Sclavonia. 4. Polonia. 5. Scotie. 6. Angliæ. 7. Irrolandia. 8. Hungariæ. 9. Germaniæ. 10. Suetiæ & Daniæ. 11. In Belgio. 12. In Gallia. 13. In Portugallia. 14. In Indiis Orientalibus & Occidentalibus.
15. Archi-Episcopus in quo differat ab Episcopo? 16. An & quando habeat jurisdictionem in Episcopos non exemptos? 17. An Vicarius Archi-Episcopi possit exercere aliquam jurisdictionem contra Episcopos suffraganeos? 18. An Metropolitanus possit condere statuta pro tota Provincia? 19. An Metropolitanus habeat jus confirmandi Episcopos suffraganeos? 20. An habeat etiam jus consecrandi? 21. An Archi-Episcopus habeat jurisdictionem in subditos suorum suffraganeorum? 22. Ad Archi-Episcopum potest appellari. 23. An possit visitare provinciam. 24. Potest exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum, quando bonum totius provincie id exigit. 25. An & quando ut delegatus Pape hanc jurisdictionem exercere possit? 26. An jurisdictionem exercere possit, quando agitur causa criminalis inter Clericum & Episcopum? 27. Quando Episcopus est negligens in exercenda jurisdictione, an exercitium jurisdictionis devolvatur ad Archi-Episcopum? 28. Ponuntur objectiones. 29. An Archi-Episcopus possit in Diocesi suffraganeorum conferre S. ordines, dedicare Ecclesias: &c. 30. An possit absolvere excommunicatum ab Episcopo suffraganeo? 31. In quo loco possit exercere jurisdictionem in subditos suffraganei? 32. Quid sit pallium Archi-Episcopale? 33. Pallii figura qua sit? 34. A quo possit conferri? 35. Quibus pallium concedatur? 36. Intra quod tempus sit petendum, & qua forma tradendum? 37. In quo loco & quando licitum sit uti pallio? 38. Archi-Episcopus nequit uti pallio in Ecclesiis aliene provincie: 39. Neque in sua Provincia extra Ecclesiam. 40. Neque extra missarum solennia. 41. Non nisi certis diebus & quibus? 42. Archi-Episcopus quid juris consequatur per traditionem pallii? 43. An pallium transeat ad alios? 44. Quid juris quoad pallium, si Archi-Episcopus transferatur ad aliam Ecclesiam?

Archi-

1 *Archi episcopi* ex ipso nomine Principes seu Primi episcoporum, archos enim graece primum vel principem sonat, dicuntur etiam alio vocabulo *Metropolitani* a multitudine civitatum seu dioecesium, quas sub se habent. *can. Cleros 1. §. ordo episcoporum. dist. 21, & ibi gloss. vers. in mensura.* & quamvis in dicto *can. cleros* videatur aliqua esse differentia inter *Archi-episcopum* & *Metropolitanum*, communis tamen est opinio nullam esse differentiam, nisi forte alicubi reperiat *Archi-episcopus*, qui nullum sub se *Archi-episcopum* suffraganeum habeat, hic enim *Archi-episcopus*, non vero *Metropolitanus*, & *Archi-episcopus* potius titularis quam verus dicendus esset. P. Engel. *loc. cit. n. 25.*

Porro dum describo *Archi-episcopos* in genere, lubet hic opponere *Archi-episcopatus* & *episcopatus*, quos Romana ecclesia vel tenuit, vel adhuc obtinet; equidem de *Archi-episcopatibus* & *episcopatibus* vel extinctis vel adhuc residuis in Germania, eorumque insignibus ac excellentibus prerogativis & praeminentiis, infra in particulari dicetur. Seriem accipe sequentem.

2 *In statu ecclesiae Romanae & campaniae, Pontifici immediate subsunt episcopatus.*

1. Tivoli, Tiburtinus, 2. Anagni, Anagninus, 3. Segni, Segninus
4. Ferentino, Ferentinus, 5. Alatro, Alatrinus, 6. Nepi, Nepefinus, &

Sutri, Sutrinus sunt uniti, 7. Viterbo, Viterbinus, 8. Toscanella, Toscanensis, 9. Veruli, Verulanus, 10. Orti, Hortanus, 11. Civita Castellana, Civitatis Castellanae, 12. Volaterra, Volaterranus, & Luca, Lucanus, sunt uniti, 13. Lune & Sarzana, Lunensis & Sarzanensis, 14. Montepoliano, Politianensis, 15. Sora, Soranus, 16. Fondi, Fondanus, 17. Caeta, Cajetanus, 18. Terracina, Terracinensis.

In Umbria & Marchia Anconitana.

1. Bagnarea, Balneo Regiensis, 2. Orvieto, Urbevetanus, 3. Perugia, Perusinus, 4. Citta di Castello, Civitatis Castellae, 5. Spoleto, Spoletanus, 6. Asfisi, Asfisiensis, 7. Fulgano, Fulginatensis, 8. Nocera, Nocerinus, 9. Rieti, Reatinus, 10. Todi, Todertinus, 11. Ameria, Amerinus, 12. Narni, Narniensis, 13. Terni, Interramnenis, 14. Loreto, Lauretanus, 15. Recanati, Recanatenis, 16. Ancona, Aconitanus, 17. Jesi, Esinus, 18. Camerino, Camerinus, 19. Osimo, Auximanensis, 20. Fano, Fanensis, 21. Ascoli, Ausculanus.

Episcopatus sex seniorum Cardinalium.

1. Ostia, Ostiensis, & Veletri, Veltriensis, sunt uniti, 2. Porto, Portuensis, 3. Fregati, Tusculanus, 4. Sabina, Sabinensis, 5. Palestrina, Praenestinus, 6. Albano Albanensis.

Archiepiscopatus in Toscano, Corsica & Territorio Genuensi.

Archi-episcopatus Pisanus, hujus suffraganei episcopatus sunt
1. Ajazza

1. Ajazza, Adjacensis. 2. Alteria Alteriensis. 3. Sagona, Sagoniensis, hi tres episcopatus sunt in Insula Corsica.

Archi-episcopatus *Florentinus*, ejus episcopatus suffraganei sunt: Fiesola, Fesulanus. 2. Pistoria, Pistoriensis. 3. Arezzo, Aretinus. 4. Colle, Collensis. 5. Burgo S. sepulchro, Burgi sancti sepulchri.

Archi-episcopatus *Siena*, huic subsunt: 1. Suana, Suanensis. 2. Chiusi, Clusinus. 3. Grosseto, Grossetanus. 4. Massa, Massanus. 5. Montalino, Ilcinensis. 6. Pienza, Pientinus.

Archi-episcopatus *Genuens*, huic subsunt episcopatus suffraganei: 1. Bobio, Bobiensis. 2. Alberiga, Albiganensis. 3. Noli, Naulensis. 4. Nebia, Nebiensis. 5. Mariano, Marianensis. 6. Accia, Acciensis. qui tres posteriores sunt in Insula Corsica.

Archi-episcopatus *Taurinus*, cui subsunt Episcopatus suffraganei: 1. Mondovi, Montis Regalis. 2. Casale, Casalensis. 3. Saluzzo, Salutiatumensis.

Archi-episcopatus *Milanus*, sive Mediolanensis, cujus Episcopatus suffraganei sunt: 1. Bergamo, Bergamensis. 2. Alba, Albanensis. 3. Vercelli, Vercellensis. 4. Cremona, Cremonensis. 5. Savona, Savonensis. 6. Vintimiglia, Vintimigliensis. 7. Aichqui, Aquensis. 8. Brescia, Brixienensis. 9. Aste, Novariensis. 10. Lodi, Ludensis. 11. Alexandria, Alexandrinus. 12. Tortona,

Tortonensis. 13. Ivrea, Ippo Regiensis. 14. Pavia, Papiensis, exemptus.

In Marchia Anconitana.

Archi-Episcopatus *Fermo*, Firmianus, subsunt ei Episcopatus suffraganei: 1. Macerata, Maceratensis. 2. Tolentino, Tolentinensis. 3. Ripa Tranfona, Ripanensis. 4. Montalto, Montis alti. 5. S. Severino, Sancti Severini.

In Romandiola & Lombardia, &c.

Archi-episcopatus *Urbino* sive Urbinus, cujus suffraganeatus sunt: 1. Pisaro, Pisauriensis. 2. Agubbio, Eugabinus. 3. Fossambrano, Forosempronienensis. 4. Senigaglia, Senogallensis. 5. Cagli, Calliensis. 6. Montefeltro, Fereltanus.

Archi-episcopatus *Ravenna*, sive Ravennatensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Adria, Adriensis. 2. Commachio, Comaclensis. 3. Forli, Foroliviensis. 4. Forimpopolo, Foropompiliensis. 5. Cesena, Cæsenatensis. 6. Sarsina, Sarfinatensis. 7. Faenza, Faventinus. 8. Martinoro, Britonoriensis. 9. Ferrara, Ferrariensis. 10. Rimini, Ariminensis. 11. Imola, Imolensis. 12. Cervia, Cerviensis.

Archi-episcopatus, *Bologna* sive Bononiensis, olim subiectus erat Ravennatensi Archi-episcopatu, sed anno 1586. erectus erat in Archi-episcopatum, cujus suffraganeatus sunt: 1. Piacenza, Placentinus. 2. Parma, Parmensis. 3. Reggio, Rhegiensis. 4. Modena, Mutinensis.

L1

5, Crema,

5. Crema, Cremonensis. 6. Burgo S. Domino, Burgi S. Domini.

In Dalmatia.

Patriarchatus *Aquileia*, sive Aquilegiensis, cujus episcopatus suffraganei sunt: 1. Mantua, Mantuanus. 2. Como, Comensis. 3. Trento, Tridentinus. 4. Verona, Veronensis. 5. Padua, Patavinus. 6. Vicenza, Vicentinus. 7. Trevisi, Tarvisinus. 8. Concordia, Concordiensis. 9. Cenetæ, Cenetensis. 10. Feltro, Feltriensis. 11. Cividale de Belluno, Bellunensis. 12. Polla, Polensis. 13. Parenzo, Parentinus. 14. Trieste, Tergestinus. 15. Capo d' Istria, Justinopolitanus.

In Istria Patriarchatus, Grado sive Gradensis.

Hic Patriarchatus erectus erat a. a. 1456. hujus episcopatus suffraganei sunt: 1. Chiozza, Clodiensis. 2. Citta Nova, Civitatis Novæ. 3. Torcello, Torcellanus. 4. Caurli, Capruliensis.

In regno Neapolitano, & quidem in terra laboris.

Archi-episcopatus *Neapolitanus*, cujus suffraganeatus sunt: 1. Pozzuolo, Puteolanus. 2. Nola, Nolanus. 3. la Cerra, Acerranus. 4. Ischia, Iselanus. 5. Aversa, Averfanus.

Archi-episcopatus *Capuanus* sive Capua, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Theano, Theanensis. 2. Calvi, Calvensis. 3. Caserta, Casertanus. 4. Cajazzo, Cajacensis. 5. Carinola, Carinolensis. 6. Isernia, Iserniensis. 7. Sessa, Suesanus. 8.

Aquina, Aquinatensis. 3. Monte Cassino, Cassinensis.

Archi-episcopatus *Salerno*, sive Salernitanus, hujus suffraganei sunt: 1. Campagna, Campaniensis. 2. Capaccio, Caputaquensis. 3. Policastro, Policastrensis. 4. Nusco, Nuscanus. 5. Acerno, Acernensis. 6. Sarno, Sarnensis. 7. Marfico, Marficensis. 8. La Cava, Cavensis. 9. Nocera de Pagani, Nucerinus.

Archi-episcopatus *Amalfi*, sive Amalfitanus, huic subsunt suffraganeatus: 1. Episcopatus Lettere, Litterensis. 2. Scala, Scalacensis. 3. Capri, Capritanus. 4. Minori, Minorensis. 5. Ravello, Ravellensis.

Archi-episcopatus *Surrento* sive Surrentanus, complectitur suffraganeatus 1. Vico Equense, Vicanum episcopatum. 2. Massa, Massalubrensem. 3. Castella mare, Castri maris.

Archi-episcopatus *Benevento* sive Beneventanus, sub se habet episcopatus suffraganeos: 1. Ascoli, Ascolanum. 2. Thelese, Thelesinum. 3. S. Agatha, S. Agathæ. 4. Monte Verde, Monte-Viridem. 5. Alife, Aliphanum. 6. Monte Marano Montis Marini. 7. Avellino, Avellinum. 8. Frigento, Frequentinum. 9. Trivico, Trivicanum. 10. Ariano, Arianensem. 11. Bojano, Bojanensem. 12. Bovino, Boviensem. 13. Lefina, Lefinensem. 14. Voltorara, Vulturariensem. 15. Larino, Larinensem. 16. Termuli, Termulanum. 17. S. Severo, S. Severi. 18. la Guardia Arseria, Guardiensem. 19. Lucera, Lucerinum. 20.

Troja,

Troja, Trojanum. Præterea venit: Archi-episcopatus *Lanciano*, five *Lancianus*, qui tamen nullum habet sub se suffraganeum.

Archi-episcopatus *Civita de Chieti* five *Theatinus*, ad hanc dignitatem evectus est anno 1506, cujus suffraganeatus sunt: *Ortonati*, *Ortonensis*. 2. *Campoli*, *Campensis*. 3. *Civita di Penna*, *Civitatis Pennæ*. 4. *Atri*, *Adriensis*. 5. *Aquila*, *Aquilanus*. 6. *Valva*, *Valvensis*. 8. *Sulmona*, *Sulmonensis*. 9. *Teramo*, *Aprutinus*. 10. *Civita Ducale*, *Civitatis Ducalis*. 11. *Marfi*, *Marsicensis*.

In Apulia.

Archi-episcopatus *Conza*, five *Compzanus*, huic subsunt suffraganei episcopatus: 1. *Muro*, *Muranus*. 2. *Satriano*, *Sarianensis*. 3. *Campagna*, *Campaniensis*. 4. *La-codogna*, *Laquedonensis*. 5. *S. Angelo di Lombardi*, *S. Angeli Lombardorū*. 6. *Bisacia*, *Basaciensis*.

Archi-episcopatus *Acerenza* & *Matera* five *Acherontinus* & *Materanensis*, habet sub se episcopatus suffraganeos: 1. *Venosa*, *Venusinum*. 2. *Anglona* five *Anglonensem*, translatus est hic *Turfinum*, unde hodie dum vocatur *Turfinus*. 3. *Potenza*, *Potentinum*. 4. *Gravina*, *Gravinensem*. 5. *Tricarico*, *Tricaricensem*.

Archi-episcopatus *Taranto*, *Tarantinus*, cui subsunt: 1. *Episcopatus Motula*, *Motulensis*. 2. *Castellaneta*, *Castellanatensis*. 3. *Oria*, *Oritanus*.

Archi-episcopatus *Brundisii*, *Brundisinus*, cujus suffraganeatus sunt:

1. *Ostuni*, *Ostunensis*. 2. *Nardo*, *Neritonensis*. 3. *Monopoli*, *Monopolitanus*.

Archi-episcopatus *Otranto*, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. *Castro*, *Castrensis*. 2. *Gallipoli*, *Gallipolitanus*. 3. *Ugento*, *Ugentinus*. 4. *Lecce*, *Lyciensis*. 5. *Alessano*, *Alessanensis*.

Archi-episcopatus *Bari*, *Barensis*, cui subsunt: 1. *episcopatus Bitonto*, *Bituntinus*. 2. *Molfetta*, *Melphitensis*. 3. *Giovenazzo*, *Juvenacensis*. 4. *Ruvo*, *Rubensis*. 5. *Polignano*, *Polignanensis*. 6. *Mondorvino*, *Minerbienensis*. 7. *Conversano*, *Conversanus*. 8. *Bitetto*, *Bitettenus*. 9. *Andri*, *Andriensis*. 10. *Bisceglia*, *Vigiliensis*.

Archi-episcopatus *Trani* five *Tranensis*, hujus suffraganeatus sunt: 1. *Episcopatus Montepeloso*, *Montis Pelusi*. 2. *Alessano*, *Alessanensis*. 3. *Rapallo*, *Rappallensis*.

Archi-episcopatus *Monfredonia* vel *Syontinus*, hujus suffraganeatus sunt: 1. *Vieste*, *Vestanus*. 2. *Melphi*, *Melphiensis*.

Archi-episcopatus *Nazareth*, *Nazarenus*, est solum titularis, ejus ecclesia est in *Castro Bartoli*, *Dioeceseos Tranensis*.

In Calabria.

Archi-episcopatus *Reggio*, cujus suffraganeatus sunt: 1. *episcopatus Catenzaro*, *Cathacensis*. 2. *Cotroni*, *Cotronensis*. 3. *Tropia*, *Tropiensis*. 4. *Oppido*, *Oppidensis*. 5. *Bova*, *Bovienensis*. 6. *Geraci*, *Hieracensis*. 7. *Squillace*, *Squillacensis*. 8. *Ni-castro*,

castro, NeoCastrensis. 9. Nicoter-
ra, Nicoterensis.

Archi-episcopatus *Cosenza*, cui
subiunguntur: 1. episcopatus Martarone,
Maturanensis. 2. Cassano, Cassa-
nensis. 3. Melito, Melitenensis. 4. S.
Marco, S. Marci.

Archi-episcopatus *Rossano*, Rossa-
nensis, nullum sub se habet suf-
fraganeum, sed Episcopatus Bisi-
gnano, Bisignensis est exemptus.

Archi-episcopatus *S. Severino* ha-
bet suffraganeatus: 1. Episcopatum
Umbriatico, Umbriaticensem. 2.
Strangoli, Strangulensem. 3. Isola,
Insulanum. 4. Carcati, Cariaten-
sem. 5. Bel Castro, Bellicastrensem.

In Sicilia.

Archi-episcopatus *Palermo* Pa-
normitanus, cuius suffraganei sunt:
1. Gergente, Agrigentinus. 2. Ma-
zara, Macariensis. 3. Malta, Mele-
vitanus.

Archi-episcopatus *Monreale*,
Montis Realis suffraganeatus ha-
bet: 1. Episcopatum Siracusa, Sira-
cusanum. 2. Cathania, Catha-
niensem.

Archi-episcopatus *Messina*, Mes-
sanensis habet suffraganeatus:
1. Episcopatum Cefalu, Cephalu-
densem. 2. Patti, Paetensem. 3. Li-
pari, Liparensem.

In Sardinia.

Archi-episcopatus *Torre*, Turri-
tanus, cuius suffraganei sunt: 1. Epi-
scopatus Alguer, Algarensis. 2. Bos-
sa, Bossanensis. 3. Amphuria, Am-
puriensis.

Archi-episcopatus *Arborea*, Ar-
borensis, unicum habet episcopa-
tum suffraganeum, scilicet Ales, Us-
selensem.

Archi-episcopatus *Calari*, Calari-
tanus, nullum habet suffraga-
neum.

In Sclavonia.

Archi-episcopatus *Antivari*, An-
tibarensis, sub quo sunt suffraga-
nei episcopatus: 1. Stephani, Ste-
phanensis. 2. Benda, Bodonen-
sis. 3. Albano, Aulanensis. 4. Ales-
sio, Alexiensis. 5. Scutari, Scor-
densis. 6. Briscina, Prozrinensis.
7. Soffia, Sardicensis. 8. Buda, Bu-
duanensis. 9. Dulcingo, Dulcinen-
sis. 10. Drivaste, Drivastensis.
11. Suacino, Suacinensis. 12. Bol-
lastro, Bollastrensis. 13. Sierbo,
Sierbiensis.

Archi-episcopatus *Ragusi*, sub
quo sunt episcopatus suffraganei:
1. Stagno, Stagnensis. 2. Marcana,
Mercanensis. 3. Trebina, Trebi-
niensis. 4. Rifano, Rosonensis.
5. Corzola, Corzolenensis. 6. Cat-
taro, Cartarenensis. 7. Gazzala,
Garzalenensis.

Archi-episcopatus *Spalatro*, cu-
jus suffraganei episcopatus sunt:
1. Lesina, Pharenensis. 2. Trau, Tra-
guriensis. 3. Sibenico, Sibenicen-
sis. 4. Segna, Segniensis. 5. Scar-
dona, Scardonensis. 6. Bosna,
Bosnensis. 7. Semederevo, Sama-
diensis. 8. Modrussa, Modrisien-
sis. 9. Corbavia, Corbaviensis.
10. Dmunoet, Damnensis. 11. Ma-
carla, Macorensis.

Archi.

Archi-episcopatus *Zara*, *Jadrensis*, episcopatus suffraganeos sub se habet: 1. *Arbe*, *Arbensis*. 2. *Veglia*, *Vegliensis*. 3. *Ossara*, *Auxatensis*. 4. *None*, *Nonensis*.

Archi-episcopatus *Durazzo*, *Dinlicensis*, suos suffraganeatus amittit, fitos & subjectos *Turcicæ* servituti.

In Polonia.

4. Archi-episcopatus *Gnesensis*, sub quo suffraganei episcopatus sunt: 1. *Cracau*, *Cracoviensis*. 2. *Uladislau*, *Uladislaviensis*. 3. *Posen*, *Posnaniensis*. 4. *Culm*, *Culmensis*. 5. *Vilna*, *Vilnensis*. 6. *Plozco*, *Plocensis*. 7. *Varmien*, *Varmiensis*. 8. *Samogitien*, *Mednicensis*, in *Samogitia*.

Archi-episcopatus *Lemberg*, *Leopoliensis*, sub quo sunt episcopatus: 1. *Chelm*, *Chelmiensis*. 2. *Camminiek*, *Camenecensis*. 3. *Premislau*, *Pramisliensis*. 4. *Lucorien*, *Lucoriensis*. 5. *Kiov*, *Kioviensis*. 6. *Pinsko*, *Pinscensis*.

In Scotia.

5. Archi-episcopatus *S. Andrews*, *S. Andreæ*, cujus suffraganeatus sunt: 1. *Dunkeld*, *Dunkeldensis*. 2. *Aberton*, *Abertonensis*. 3. *Moray*, *Moraviensis*. 4. *Dumblanc*, *Dumblanensis*. 5. *Brechin*, *Brechinensis*. 6. *Rosse*, *Rossensis*. 7. *Cathens*, *Cathanensis*. 8. *Orcknay*, *Orcadensis*.

Archiepiscopatus *Glasgow*, *Glascovensis*, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. *Galloway*, *Gallovi-*

dia. 2. *Argyle*, *Argadia*. 3. *Of the Iles*, *Sodorensis*.

In Anglia antequam a fide Catholica defecerat.

Archi-episcopatus *Canterbury*, *Cantuariensis*, cujus præsul semper debet esse *Benedictinus*, ejusque episcopatus suffraganei sunt: 1. *London*, *Londinensis*. 2. *Ely*, *Eliensis*. 3. *Lichfeld*, *Lichfeldiensis*. 4. *Winchester*, *Vindoniensis*. 5. *Lincolne*, *Linconiensis*. 6. *Conventry*, *Conventriensis*. 7. *Salisbury*, *Salisburgenensis*. 8. *Uvelles*, *Uvellensis*. 9. *Norvvich*, *Nordovicensis*. 10. *Hereford*, *Herefordiensis*. 11. *Rocheſter*, *Roffensis*. 12. *Gloceſtre*, *Gloceſtrenſis*. 13. *Bristol*, *Bristolienſis*. 14. *Landaff*, *Landaffensis*. 15. *S. Aſſaph*, *Aſſaphenſis*. 16. *Bathe*, *Bathonienſis*. 17. *Exceter*, *Exoniensis*. 18. *Uvorceter*, *Vigornienſis*. 19. *Chicheſter*, *Chiceſtrenſis*. 20. *Oxford*, *Oxonienſis*. 21. *Peterborough*, *Petriburgenſis*. 22. *S. David*, *S. Davidis*. 23. *Bamgor*, *Bamgorienſis*.

Archi-episcopatus *Yorck*, five *Eboracensis* habuit sub se episcopatus suffraganeos: 1. *Durham*, *Durnelmensis*. 2. *Chester*, *Ceſtrenſis*. 3. *Carlile*, *Carleolenſis*.

In Irvlandia.

Archi-episcopatus *Armagh* five *Armaghensis*, sub quo fuerunt episcopatus suffraganei: 1. *Midhe*, *Medensis*. 2. *Cluaines*, *Cluanensis*. 3. *Clochar*, *Clochariensis*. 4. *Doire*, *Derenſis*. 5. *Cilmhorr*,
L 1 3 Col-

Cilmorensis. 6. Ardach, Ardachensis. 7. Rathbogh, Rapontensis.

In Hungaria.

8. Archi-episcopatus Gran Strigoniensis, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Erla, Agriensis. 2. Waitzen, Variensis. 3. Neutra, Nitriensis. 4. Raab, Jaurinus.

Archi-episcopatus Colotza cujus suffraganeatus sunt: 1. Agra, Zagrabienensis. 2. Grosvaradein, Varadinensis. 3. Bozno, Bosniensis. 4. Chianad, Chianadiensis. 5. Szeren, Sirmiensis. Et

In Transsylvania.

1. Weissenburg, Albæ Julæ. 2. Hermannstatt, Cibiniensis. 3. Tinnini, Tinniensis.

In Germania.

9. Archi-episcopatus Mayntz, Moguntinus, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Aichstett, Aichstadiensis. 2. Würtzburg, Herbipolensis. 3. Hildesheim, Hildesienensis. 4. Costnitz, Constantiensis. 5. Cur, Curcensis. 6. Paderborn, Paderbornensis. 7. Strasburg, Argentoratensis. 8. Worms, Wormatiensis. 9. Speyr, Spirensis. 10. Augspurg, Augustanus. Porro 11. Bamberg, Bambergensis, episcopatus est exemptus. 12. Halberstatt, Halberstadiensis, antequam secularizatus.

Archi-episcopatus Trier, Trevirensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Metz, Metensis. 2. Tull, Tullensis. 3. Verdun, Verdunensis.

Archi-episcopatus Cölln, Coloniensis, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Lüttig, Leodiensis. 2. Münster, Monasteriensis. 3. Osnabrug, Osnabrugensis. 4. Minden, Mindensis, antequam fuerit secularizatus.

Archi-episcopatus Magdeburgensis, antequam fuerit secularizatus, cujus suffraganei erant: 1. Episcopatus Havelburg, Halverbürgenensis. 2. Brandenburg, Brandenburgensis. 3. Merseburg, Martisbügenensis. 4. Naumburgensis.

Archi-episcopatus Salisburgensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Episcopatus Regenspurg, Ratisbonensis. 2. Passau, Passaviensis. 3. Neustatt, Neostadiensis. 4. Freisingen, Frisingensis. 5. Brixen, Brixienensis. 6. Wien, Viennensis. 7. Gurck, Gurcensis. 8. Lavant, Lavantinus. 9. Secau, Secovienensis. 10. Chiemsee, Chiemenensis.

Archiepiscopatus Bremen, Bremensis, antequam ad manus seculares devolveretur, cujus suffraganeatus erant: 1. Episcopatus Schlessvick, Schlessvicensis. 2. Ratzeburg, Ratzebügenensis. 3. Lübeck, Lubecensis. 4. Sverin, Schvverinensis. 5. Lebus. 6. Camin.

Archi-episcopatus Besançon, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Basel, Basileensis. 2. Lofanne, Lofannensis. 3. Bellay en Bresse.

Archi-episcopatus Tarantaise, in Burgundia, cujus suffraganeatus sunt: 1. Sedun, Sedunensis. 2. Osta, Augustanus,

Archi-

Archi-episcopatus Pragensis in Bohemia, cujus suffraganeatus sunt: 1. Olmütz, Ollmucensis. 2. Leutmeriz, Litomeriensis. 3. Königsgraz, Regina Gradecensis. 4. Breslau, Vratislaviensis est exemptus,

In Suecia.

- 10 Antequam a fide Catholica recederat Archi-episcopatus *Upsalensis*, cujus suffraganeatus erant: 1. Sara, 2. Lincöping. 3. Arosien. 4. Strengnes. 5. Abo. 6. Westeras. 7. Weixio. 8. Wiburg. 9. Reval.

In Dania

Erant Episcopatus: 1. Rotschild, 2. Ottensee. 3. Ripen. 4. Wiburg. 5. Arrhusen. 6. Allburg.

In Norvegia

Erant Archi-episcopatus *Drontheim* Nidrosiensis, cujus suffraganeatus erat 1. Episcopatus Bergen, 2. Staffanger. 3. Hamar. 4. Anslö. 5. Holand. 6. Hoccad. 7. Gronland. 8. Scalholt in Islandia,

In Belgio.

- 11 Archi-episcopatus *Cambray*, Cameracensis, cujus suffraganei sunt: 1. Episcopatus Arras Atrebatensis. 2. Tournay, Tornacensis. 3. Namur, Namurcensis. 4. S. Omer.

Archiepiscopatus *Utrecht*, Ultrajectensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Harlem. 2. Deventer. 3. Leuwarden. 4. Groningen. 5. Mittelburg, omnes tamen hodie possidentur a reformatis.

Archi-episcopatus *Mecheln*, Mechlinensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Antwerpen, Antverpiensis, 2. Gent, Gandavensis, 3. Brug-

gensis. 4. Ipern, Iprensis. 5. Bolons, 6. Ruremond, Ruremundanus.

In Gallia.

Archiepiscopatus *Lion*, Lugdunensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Autun, Augustodiniensis. 2. Langres, Lingonensis. 3. Macon, Matisconensis. 4. Chalonsaone, Cabillonensis.

Archi-episcopatus *Sens*, Senonensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Troges, Trecentis. 2. Auxerre, Antiofiodorensis. 3. Orleans, Aurelianensis. 4. Nevers, Nivernensis. 5. Chartres, Charnotensis. 6. Meaux, Meldensis.

Archi-episcopatus *Bordeaux*, Burdegalensis, cui subsunt episcopatus suffraganei: 1. Agen, Agenensis. 2. Sainctes, Sanctonensis. 3. Perigueux, Petracorienensis. 4. Mallezes, Maleacensis. 5. Sarlat, Sarlatensis. 6. Poitiers, Pictaviensis. 7. Angoulesme, Engolismensis. 8. Condom, Condomensis. 9. Lucon, Lucionensis. 10. Rochelle, Ruppellanus.

Archi-episcopatus *Arles*, Arelatensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Marfeilles, Massiliensis. 2. Tricastin, Tricastiensis. 3. Orange, Arausionensis. 4. Toulon, Tolonensis.

Archi-episcopatus *Aix*, Aquensis, cui subsunt: 1. Episcopatus Apt, Aptensis. 2. Ries, Regensis. 3. Frejus, Foro-Julicensis. 4. Cisteron, Sistaricensis. 5. Gap, Vapincensis.

Archi-episcopatus *Vienne*, Vienneensis, sub se habet episcopatus: 1. Va-

1. Valence, Valentinum. 2. Geneve, Genevensis. 3. Grenoble, Gratianopolitanum. 4. Vivarai, Vivariensis. 5. Die, Diefensis. 6. Mauremie, Maurianensis.

Archi-episcopatus *Ambrun*, Ebrundensis suffraganeatus habet: 1. Episcopatum Digne, Dignensis. 2. Grasse, Gassenensis. 3. Senez, Sennensis. 4. Nice, Niciensis. 5. Glandesve, Glandevensis. 6. S. Paul de Vence, Venciensis.

Archi-episcopatus *Avignon*, Avinionensis, sub quo sunt suffraganei episcopatus: 1. Carpentras, Carpentoractensis. 2. Cavillon du Contat, Cabellionensis. 3. Vaison, Vasionensis.

Archi-episcopatus *Remensis*, cujus suffraganeatus sunt: 1. Episcopatus Soison, Sueffionensis. 2. Chalon sur Maine, Catalonensis. 3. Senlis, Silvanetensis. 4. Tournay, Tornacensis. 5. Amiens, Ambianensis. 6. Novion, Novionensis. 7. Laon, Landunensis. 8. Boulogne, Bononensis. 9. Teroané, Morinensis. 10. Beauvais, Belluacensis. 11. Artois, Atrebatensis.

Archi-episcopatus *Rouen*, Rhodomagensis, sub quo sunt: 1. Episcopatus Bajeux, Bajocensis. 2. Auranthes, Abricensis. 3. Lisieux, Lexoviensis. 4. Eureux, Ebriacensis. 5. Sais, Sagiensis. 6. Constantees, Constantiensis.

Archi-episcopatus *Tours*, Turo-nensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Mans, Cenomanensis. 2. Rennes, Redonensis. 3. Cornovaille,

Curisopitenfis. 4. S. Malo Maclo-vienfis. 5. Triguier, Trecorenfis. 6. Dol, Dolenfis. 7. Angers, Andeguavenfis. 8. Nantes, Nannetenfis. 9. Vennes, Vennetenfis. 10. Brieu, Briocenfis. 11. S. Paul de Leon, Leonenfis.

Archi-episcopatus *Bourgues*, Bituricensis, cui subfunt: Episcopatus Clairmont en Auvergne, Clarmontanus. 2. Rodez, Rutenfis. 3. Limoges, Lamovicenfis. 4. Alby, Altenfis. 5. Vaures, Vavrenfis. 6. S. Flor, S. Flori. 7. Cahors, Cafurcenis. 8. Mende de Guivauldan, Mimatenfis. 9. Castre, Castrenfis. 10. Tullés, Tutellenfis. 11. Le Pye en Auvergne est exemptus.

Archi-episcopatus *Aux*, Auxitanus, qui sub se habet suffraganeos episcopatus: 1. Letoure, Lectoratensis. 2. S. Leger de Conferans, Conferanum. 3. Oltron en Bearn, Olorenfis. 4. Bajonne, Bajonnensis. 5. S. Bertrand de Cominges, Conveniensis. 6. Tarbe, Tarbensis. 7. Bassas, Vafatenfis. 8. Arien, Adurenfis.

Archi-episcopatus *Narbonne*, Narbonensis, cui subordinati sunt: 1. Episcopatus Carcaffone, Carcaffonenfis. 2. Befiers, Britercenfis. 3. Agde, Agathenfis. 4. S. Pont, S. Pontis. 5. Alet, Alectenfis. 6. Lodeve, Ledovenfis. 7. Nifme, Nemaufenfis. 8. Ufèz, Utizenfis. 9. Montpellier, Montis Pessulani,

Archi-

Archi episcopatus *Toulouse*, Tolofanus, ad quem pertinent suffraganei episcopatus: Mirepoix, Mirapicensis. 2. Montalbano, Montalbanensis. 3. Vaure, Vaurenensis. 4. Lombes, Lombariensis. 5. S. Paul, S. Pauli. 6. Appanes, Appaniarum.

Archi-episcopatus *Paris*, Parisiensis, cui subjiciuntur: 1. Episcopatus Blois, Blesensis. 2. Chartres, Carnutenensis. 3. Meaux, Meldensis. 4. Orleans, Aurelianensis, qui suffraganei episcopatus ab aliis Archi-episcopatibus, quibus suberant, sunt avulsi.

In Hispania.

Archi-episcopatus *Toledo*, Toletanus, cujus suffraganeatus sunt: 1. Episcopatus Cordua, Cordubensis. 2. Avila, Avilensis. 3. Cuenca, Conchenensis. 4. Murcia, Carthaginensis. 5. Osma, Osomensis. 6. Seguenca, Seguntinensis. 7. Jaen, Jaensis. 8. Segobia, Segobienensis. 9. Valladolid, Vallisoletanus.

Archi-episcopatus *Tarracona*, Tarraconensis, sub quo sunt episcopatus: 1. Barcellona, Barcinonensis. 2. Girona, Gironensis. 3. Elna, Elnensis. 4. Vick, Vicensis. 5. Solsona, Celsonensis. 6. Urgel, Urgelensis. 7. Lerida, Ilerdensis. 8. Tortosa, Dertusensis.

Archi-episcopatus *Sevilla*, Hispaniensis, cui subsunt: 1. Episcopatus Malaga, Malacitanensis. 2. Cadix, Gaditanus. 3. Canaria.

Archi-episcopatus *Sant Jago*, Compostellanus; in Gallicia, cujus suffraganeatus sunt: 1. Episcopatus

Tuis. 2. Salamanca. 3. Coria. 4. Zamora. 5. Orense. 6. Badajoz. 7. Ciudad Rodrigo. 8. Leon & 9. Oviedo sunt Episcopatus exempti. 10. Placencia. 11. Asterga. 12. Moncedo. 13. Lugo.

Archi-episcopatus *Valencia*, Valentia, cujus episcopatus suffraganei sunt: 1. Orvela. 2. Segoroe. 3. Majorque.

Archi-episcopatus *Granada*, Granatensis, cujus suffraganeatus sunt: 1. Almeria. 2. Malaga. 3. Guadix.

Archi-episcopatus *Burgos*, Burgiensis, suffraganei ejus episcopatus sunt: 1. Calahorre. 2. La Calzada. 3. Palenza. 4. Pampelona.

Archi-episcopatus *Saragossa*, Caesar Augustanus, sub quo suffraganeatus sunt: 1. Huesca. 2. Jacea. 3. Tarrazone. 4. Balbastro. 5. Tervel. 6. Albarazin.

In Portugallia sive Lusitania.

Archi-episcopatus *Braga*, Braca¹³rensis, cui subsunt: 1. Episcopatus Porto. 2. Coimbra. 3. Viseo. 4. La Guarda. 5. Lamego. 6. Miranda.

Archi-episcopatus *Lissabon*, Lisbonensis, cujus suffraganei episcopatus sunt: 1. Lamego. 2. Leira. 3. Ceuta. 4. Funchal, in Insula Madera. 5. Ribera Grande. 6. Angra in Insula Tercera. 7. S. Salvador, Fanum Salvatoris in regno Congo.

Archi-episcopatus *Evora*, Eborenensis, suffraganeatus ejus sunt: 1. Algarbe. 2. Portalegre. 3. Elvas.

In Indiis Orientalibus.

Archi episcopatus *Goa*, huic sub¹⁴sunt suffraganei episcopatus: 1. Mm Cochim,

Cochin. 2. Malaca. 3. Ahina. 4. Meliapor. 5. Aangranor. 6. Sirene. 7. Mozambique. 8. Japan.

In Indiis Occidentalibus.

Archi-episcopatus *S. Domingo*, Dominicopolitanus, cujus suffraganeatus sunt: 1. Cabaſco. 2. Panama. 3. Borico. 4. Cartagena. 5. Nondura. 6. S. Martini.

Archi-episcopatus *Lima*, five Cival de los Reges, huic subsunt episcopatus: 1. Cusco. 2. Quitó. 3. Gamangno. 4. Garchas. 5. Crequippa. 6. Paz. 7. Plata. 8. Piura. 9. Trugillo. 10. Canuco. 11. Calapaia. 12. S. Francisco. 13. Portovicio. 14. Guarachil. 15. Popa-Jan. 16. Merida.

Archi-episcopatus *Mexico*, Mexicanus, sub quo sunt episcopatus: 1. Xile. 2. Mothoacono. 3. Guacanan. 4. Tascala. 5. Guattimala. 6. Grafencia. 7. Nitarogoa. 8. Ciapa.

Postquam igitur universi orbis Christiani Archi-episcopatus & episcopatus huc retulerim, adeo, ut Archi-episcopatus universim sint: 97. etiam numeratis iis, qui hodie dum sunt secularizati, episcopatus verò sint universim 656. nisi calculus me fallat.

Nunc superest, ut Archi-episcoporum jura, & prerogativas ipsis competentes recenseam in genere, etenim Archi-episcopatus in specie, & praesertim Germanos, infra particulariter examinabo.

55 Nota. Archi-episcopus differt ab episcopo, non ex potestate ordinis,

sed jurisdictionis, nam major & amplior est jurisdictio Archi-episcopi, quippe qui non uni solum civitati, cum oppidis ei subiectis, sed civitati Metropolitanae praest, quae est mater & caput aliarum civitatum episcopos habentium, cui sunt subiecti in spiritualibus. Azor. p. 2. l. 3. c. 33. quest. 5. Episcopi verò Metropolitanis subiecti, in jure canonico suffraganei vocantur. cap. 1. de for. compet. in 6. c. suffraganeis 11. de Elect.

Quæres 1. *Quam Jurisdictionem habeat Archi-Episcopus in Episcopos non exemptos, sive suffraganeos suae provinciae?*

Resp. 1. Archi-episcopus seu Metropolitanus habet ordinariam jurisdictionem in omnes episcopos suae provinciae cui praest, adeoque tanquam ordinarius & immediatus eorum superior, iis praecipere potest, quae ad officium eorum spectant, atque negligentes ad executionem, & officium praestandum compellere, etiam per censuras ecclesiasticas. can. 1. can. 2. can. 3. caus. 9. quest. 3. c. 11. in fin. princ. de offic. judic. ordin.

Quæres 2. *An Archi-Episcopus habeat jurisdictionem in causis criminalibus suorum suffraganeorum, quae privationem seu depositionem merentur?*

Resp. 1. In causis criminalibus majoribus Archi-episcopus non potest procedere contra suffraganeum ad sententiam definitivam. ut colligitur ex can. quamvis 7. caus. 3. quest. 7. can. 52. caus. 16. quest. 1. Pyrrhing.

Pyrhing. *sect. 2. §. 1. n. 14. de offic. judic. ordin.*

Resp. 2. De Jure novo non tantum sententia definitiva, sed in super ipsa etiam cognitio in causis criminalibus majoribus est Archi-episcopis prohibita, & soli Papæ reservata. prob. ex concilio Tridentino *sess. 24. cap. 5. de reformat.* adeoque hodierno jure episcopus in causa criminali, quæ privationem meretur, citatus à quocunque judice præter Papam, comparere ac respondere non tenetur, nisi exhibita ipsi speciali commissione facta. Barbosa *de offic. & potest. Episcop. allegat. 112. n. 5.* Pirhing. *loc. cit.* prout etiam totius Germaniæ praxis concordat.

Dixi: *In causis criminalibus majoribus*: Equidem juxta *cit. concil. Trid. loc. cit. in fin.* causæ criminales minores episcoporum in concilio tantum provinciali, cognosci ac terminari debent, vel à deputandis per concilium provinciale. Practicè tamen omnes causæ episcoporum criminales immediatè ad summum Pontificem devolvuntur.

17 Corollarium. Etsi ipsemet Archi-episcopus per censuras procedere possit contra episcopos suffraganeos, tanquam judex ordinarius eorum, generalis tamen Vicarius seu officialis Archi-episcopi, dum ipsemet Archi-episcopus est in provincia, aut non longe distans, non potest in aliquem suffraganeorum sententiam interdicti, suspensionis,

aut excommunicationis proferre, idque ob reverentiam officii ac dignitatis episcopalis. prout habetur *in cap. 1. §. officiales. de offic. jud. ordin. in 6.* ubi decernitur de officialibus Archi-episcopi Rhemensis, & præcipitur idem ab officialibus aliorum Archi-episcoporum circa ipsorum suffraganeos observandum esse.

Porro sententia seu censura à vicario seu officiali episcopi lata in episcopum suffraganeum, non solum illicita est & injusta, sed etiam invalida; secundum probabiliorem sententiam, quam tenet Pirhing. *loc. cit. num. 15.* & Layman! ab eo relatus; ex ea ratione: quia vicarius seu officialis Archi-episcopi, non habet potestatem quidpiam agendi, nisi quod jure communi vel ex speciali voluntate Archi-episcopi, eum constituentis est ei concessum. Cum ergo jure communi expresse denegata sit vicario generali Archi-episcopi potestas ferendi censuras in episcopos suffraganeos, *d. c. 1. §. officiales.* ideo neque Archi-episcopus talem potestatem vicario suo generali concedere potest contra expressam prohibitionem Ss canonum. *argum. l. 5. C. de LL.* adeoque vicarius Archi-episcopi nec validè nec licitè censuras ferre poterit, ob defectum potestatis legitimæ.

Quæres 3. *An Metropolitanus sive Archi-Episcopus possit condere statuta pro suâ Provincia?*

Resp. Archi-episcopus non potest est statuta condere, nisi cum consilio filii

Mm 2

filiq

filio & consensu coepiscoporum provincialium. Colligitur responsio ex *can. nullus. 7. caus. 9. quest. 3.* adeoque in ordine ad condendum aliquod statutum totam provinciam obligans, debet synodum seu concilium provinciale convocare, in quo ipse Archi-episcopus praesidet, velut caput concilii, ad eum effectum, ut potestas convocandi synodum provinciam ad eum spectet, & primam in illa sedem habeat; non tamen ei praesidet, tanquam sit superior concilio congregato, & caput exercens jurisdictionem in illud, neque quod habeat parem jurisdictionem, quam habet ipsum concilium, sed est tantum conjunctus & collega aliorum coepiscoporum, ac proin Archi-episcopus non praesit concilio provinciali, quemadmodum episcopus in dicecesana synodo, & Papa in concilio generali sive œcumenico *c. significasti. 4. de Elect.* sed praesidet illi sicut Decanus ecclesiae cathedralis capitulo canonicorum; quare sicut capitulum sede vacante vel etiam non vacante habens jurisdictionem ex consuetudine, in singulos e capitulo eam exercere potest, etiam in Decanum, ita concilium provinciale, cum habeat jurisdictionem in singula concilii membra, quorum unum, etsi praecipuum, est Archi-episcopus, eandem quoque in ipsum exercere potest; nam licet singulis de concilio non sit subiectus, sed potius major & dignior, est tamen subiectus toti concilio

provinciali, ita ut ab eodem judicari, excommunicari & puniri possint: exceptis causis majoribus & sedi apostolicae reservatis. Navarr. *de Major. & obed. Consil. 6.* Sanchez. *lib. 8. de Matrim. disp. 17. num. 36.* imo Archi-episcopus ea, quae in concilio provinciali sunt decreta, revocare non potest, nec immutare, nec in iis dispensare, Sanchez. *loc. cit. n. 4.*

Objicies. *per cap. grave. 29. de Praebend.* ibi: *Metropolitani vero delictum superioris iudicis relinquatur ex parte Concilii nunciandum.* Ergo Archi-episcopus non est subiectus toti concilio provinciali.

Resp. Explico antea & dico, quod *cit. cap.* loquatur de delicto tali, quod inter causas graviores censetur.

Corollarium. Concilium provinciale olim singulis annis celebrari debebat ab Archi-episcopo cum suis suffraganeis. *can. 7. dist. 18. cap. 25. de accusat.* Imo antiquioribus temporibus bini conventus episcoporum quot annis cogi debebant. *can. de Conciliis. 2. can. propter. 4. d. dist. 18.* quod postea correctum fuit. Jure vero novo concilii Tridentini, *sess. 24. cap. 2. de Reform.* statutum est, ut Metropolitanus, eoque impedito, episcopus antiquior, quolibet triennio synodum in provincia sua cogere non intermittat. Et ad tale concilium episcopi omnes, & aliqui de jure vel consuetudine interesse debent; imo etiam episcopi exempti, sive nulli

esset, quo minus suffraganeum seu episcopum suae provinciae consecrare posset, alteri episcopo, cui voluerit, vices suas committere potest, a quo consecrandus debet recipere consecrationem, dummodo episcopus ille sit Catholicus & gratiam communionis cum fide Apostolica habeat, prout habetur in *cap. quod sedem 10. de offic. judic. ordin.*

Potest praeterea Archi-episcopus, non solum si juste impeditus fuerit, sed etiam alias cessante impedimento, cuilibet episcopo etiam non suffraganeo committere munus consecrandi episcopum provincialem, quia jure communi potest pro arbitrio suo delegare seu committere alteri, tum ea quae sunt jurisdictionis, quam quae sunt ordinis, cum quilibet ordinarius id possit. Si

Dicas: Archi-episcopus impeditus potest alteri committere ea quae sunt ordinis *cap. 10. de offic. Judic. ordin.* ergo si non sit impeditus, non poterit. Dist. Conseq. non poterit quoad decentiam T. absolute & de necessitate N. prout sentiunt. Hostiensis in *cit. cap. 15. vers. in tali articulo.* & ibidem Abbas n. 3.

Dixi superius: de jure communi: Equidem in Germania nostra de recepta consuetudine, consecratio episcopi non fit necessario ab Archi-episcopo, seu Metropolitano, sed a vicino aliquo episcopo fieri potest, cui duo alii episcopi saltem titulares assistunt. Layman in *cit. cap. 15. de offic. Judic. ordin. n. 2.* Sic de facto episcopi Germaniae conse-

crantur a suis suffraganeis, seu episcopis titularibus, quos alias etiam vocant Vicarios in Pontificalibus, assistentibus duobus abbatibus infulatis, prout praxis docet.

Quaes 6. *Quam jurisdictionem sive potestatem habeat Archi-episcopus in subditos episcoporum suffraganeorum?*

Resp. Licet Archi-episcopus jurisdictionem habeat in episcopos suffraganeos, sitque ordinarius superior eorum, tamen in subditos eorundem jurisdictionem exercere non potest, nisi in casibus jure expressis. Quod prob. ex *can. nullus 7. can. conquestus. 8. caus. 9. quest. 3. cap. pastoralis 11. princ. de offic. judic. ordin. c. 1. princ. eod. in 6. cap. 1. de suppl. neglig. Praelat. in 6.*

Porro casus in jure expressi sunt 1. Si ab episcopi sententia vel gravamine ad Archi-episcopum seu Metropolitanum appelletur. *cit. can. conquestus 8. caus. 9. quest. 3. cap. 1. de offic. legat. sive in causis spiritualibus, sive temporalibus, civilibus vel criminalibus, cap. Romani. 3. §. debet autem. de appellat. in 6. & non solum cum proceditur per viam accusationis, sed etiam per viam inquisitionis.* Abbas in *cap. licet 12. n. 3. in fin. de offic. judic. ordin.*

Circa appellationem tamen ab episcopo suffraganeo ad Archi-episcopum notandum est, quod Archi-episcopus in Diocesis suffraganeorum non possit officiales foraneos seu Vicarios judices, constituere super futuris causis appellationum, quae ad ipsos deferri debeant,

beant; cum enim ipsemet Archi-episcopus non possit diœceses suffraganeorum ingredi, & in iis auctoritate propria judicare, exceptis casibus jure expressis, neque etiam extra judicium quidquam disponere vel ordinare, sequitur quod in illis neque per alios talia exercere possit; quod enim quis per se non potest, neque per alium poterit. *can. ult. dist. 46. l. 2. §. 5. ff. de administr. rer. ad civit. pertin.* & quamvis Archi-episcopus in causis ad se devolutis in suffraganeorum diœcesibus delegare possit, & tales officiales sive Vicarios judices in eisdem constituere, qui ejus vice, cum ad ipsum appellatur, partes citent, vel inhabeant judici (scilicet a quo appellatum est, ne in causa ulterius procedat) aut rebelles compescant, quia in causis ad ipsum devolutis per appellationem, jam acquisivit jurisdictionem, ideoque licite potest super illis delegare seu committere vices suas, quia quod per se potest facere, potest etiam per alium; verum tamen in aliis causis, in quibus nondum est ad Archi-episcopum appellatum, non potest aliquos constituere, qui in causis futuris citationes vel inhibitiones faciant, cum Archi-episcopus ante factam appellationem nullam actualem jurisdictionem habeat, aut exercere possit in subditos suffraganeorum, nisi aliud legitima præscriptione esset introductum, ut tales officiales seu Vicarii in Diœcesibus suffraganeorum consti-

tuantur ab Archi-episcopo; hoc casu tamen se causis Diœcesanorum non poterunt immiscere, priusquam ad Archi-episcopum fit appellatum; prout statuit Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi relato in *cap. Romana 1. in princ. de offic. Judic. ordin. in 6.* Si

Dicas: Archi-episcopus etiam ante appellationem ad ipsum factam habet jurisdictionem in subditos suffraganeorum, nisi enim eam haberet, appellantes eam tribuere non possent, imo appellatio præsupponit jurisdictionem in iudice ad quem, ergo etiam ante appellationem factam potuit in diœcesibus suffraganeorum constituere Vicarios, sicque suam jurisdictionem communicare.

Resp. Dist. antec. habet jurisdictionem in habitu & ligatam C. in actu & non ligatam, nec limitatam ad certos casus. N. Si

Dicas 1. Archi-episcopus seu Metropolitanus est iudex ordinarius totius Provinciæ, cujus curam & sollicitudinem suscepit. *can. 2. caus. 9. quæst. 3.* ergo habet jurisdictionem in singulos, qui sunt de provincia; adeoque etiam in subditos suffraganeorum, qui sunt de provincia. Explico antec. est iudex ordinarius in casibus a jure expressis, vel sicut etiam episcopus est ordinarius totius diœceseos, non tamen omnium, qui sunt in Diœcesi, quia non est ordinarius exemptorum, nisi in specialibus casibus C. est iudex ordinarius in casibus etiam ju-

re non expresis N. Vel est iudex ordinarius quoad jurisdictionem Archi-episcopalem C. quoad jurisdictionem episcopalem N. ad jurisdictionem Archi-episcopalem spectat visitare Provinciam, judicare in causis & casibus jure expresis. Ad episcopalem jurisdictionem spectat de omnibus causis diocesanoꝝ, & quidem in prima instantia cognoscendi.

23 Alter casus in quo Archi-episcopus jurisdictionem ordinariam habet in subditos suffraganeorum, est, cum visitat provinciam, id quod jure communi libere facere potest, & procuraciones ratione visitationis debitas a subditis Coepiscoporum exigere. *cap. 6. in princ. cap. 14. cap. 22. cap. 25. de censib. cap. 16. de prescript.* licet suffraganei ejus non sint negligentes *cap. fin. de censib. in 6.* ita ut tunc etiam excommunicare, vel aliter punire possit procuracionem debitam denegantes, quia per hoc impeditur, visitatio, & consequenter etiam jurisdictio. Abbas *in cit. cap. 16. de Prescript. n. 11.* quo casu potest Metropolitanus animadvertere in subditos suffraganeorum, *cap. 1. de pœn. in 6.* Sicut etiam ob delicta notoria eorundem in Provincia. *c. 1. §. Notoria vero. de censib. in 6.* etiam extra visitationem, saltem si episcopus sit negligens in iis puniendis. Abbas *in cap. ex frequentibus. n. 10. de institut.* Verum:

Jure novo concilii Tridentini *sess. 24. cap. 3. de reformat.* a Metropolitanis, etiam post plene visita-

tam propriam diœcesin, non possunt visitari ecclesiæ cathedrales, neque diœceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita & probata in concilio provinciali.

Tertius casus exceptus est, quod 24 possit Archi-episcopus seu Metropolitanus exercere jurisdictionem in subditos suffraganeorum, si nimirum eveniat casus, qui totius provinciæ statum concernat, tollendo, v. gr. pravam consuetudinem, quæ per totam provinciam viget, & a populo frequentatur, & excommunicando eos, qui illam observant, præsertim si episcopi suffraganei in tali consuetudine tollenda sint negligentes, prout sumitur *ex capite 3. de institut. & ibid. Abbas n. 3. Glossa in summ. caus. 9. quest. 3. V. quod autem.* Nam universalis seu generalis sollicitudo totius provinciæ commissa est Metropolitanis, *can. 1. dist. 21. can. 2. caus. 9. quest. 3.*

Quartus casus, in quo Metro- 25 politanus exercere potest jurisdictionem in subditos suffraganeorum suorum, saltem ut delegatus sedis Apostolicæ, est, si canonici cathedrales, absque manifesta & rationabili causa cessent a divinis, si id agant in contemptum episcopi, tunc enim episcopus nihilominus, si voluerit, in ecclesia cathedrali officia divina celebrare potest, & Metropolitanus ad querelam episcopi tanquam delegatus Papæ, per censuram ecclesiasticam, cognita veritate, canonicos punire & compescere potest, ne metu penæ dein-

deinceps talia præsumant. ita habetur in *cap. irrefragabili. 13. §. ceterum. de offic. jud. ordin.*

Ratio est, quia licet canonici sive capitulum cathedrale, si ex speciali jure seu privilegio vel præscriptione, jurisdictione in ecclesiasticis ipsi competat, possit indicere seu cessationem imponere à divinis ad tempus, non tamen sine manifestâ seu notoria & rationabili causa, quia alioquin talis cessatio cederet in diminutionem cultûs divini, & gravamen inferret Ecclesiis, *cap. 2. de offic. judic. ordin. in 6.* ideoque episcopus non tenetur illam fervare, sed apud Metropolitanum conqueri potest. Quo casu Archi-episcopus cognoscit ut delegatus Papæ, quæ delegatio cum sit facta à legē seu canone, non expirat, etiam re integra, morte mandantis, seu delegantis, sicut expirat illa, quæ fit ab homine, quia lex non moritur, sed semper durat, donec revocetur.

26 Quintus casus exceptus est, si causa criminalis agitur inter episcopum & clericum ejus subditum, tunc enim ea deferri debet ad concilium provinciale, in quo Archi-episcopus præsidet, ut colligitur ex *can. 2. caus. 9. quest. 3. can. 1. caus. 6. quest. 2. cap. sicut. 25. de accusat.* & tradit glossa in *cap. Pastoralis. 11. vers. exceptis. de offic. Judic. ordin.* Hostiensis in *summ. vers. crimen. cod. Sylvester vers. Archi-Episcopus. quest. 1. cas. 6.* Nam concilium provinciale habet in

omnes provinciales, sicut concilium generale in omnes Christianos jurisdictionem. Aliud verò dicendum est, si causa civilis inter clericum & episcopum orta sit, tum enim arbitri partium consensu eligendi sunt. *can. 46. caus. 11. quest. 1.* & ratio est, quia Metropolitanus non est judex clerici, qui subjectus est suffraganeo, nec coram episcopo potest conveniri, cum hic non possit esse simul actor & judex, potest tamen ab episcopo clericus subditus, cum quo ipso controversiam habet, compelli ad eligendos arbitros. Pirrhing. *Sect. 2. §. 2. n. 18. de offic. Judic. ordin.*

Verum si concilium provinciale longo tempore non celebretur (sicut apud nos in Germania ab hominum memoria nulla synodus provincialis habita fuit) neque in provincia ab urbe remota sit legatus Apostolicus, tunc si clericus criminaliter accuset suum episcopum, vel contra episcopum clericum non exemptum, à quo injuria vel damno injuste affectus est, certè alius judex in tali causa adiri non potest, nisi Archi-episcopus, quippe cum ipse episcopus in causa propria non possit esse judex, neque ad arbitros in causa criminali confuetum sit confugere, cum ea majores judices exigat, neque etiam Papa ob quamvis causam inter episcopum & clericum subditum, adiri possit vel debeat, ita tamen ob allatam & probabilem causam probatam Archi-episcopus recusari

Nn

&

& ab eo ad Papam appellari possit. Imola ad cap. Pastoralis. 11. num. 10. de offic. judic. ordin. & ibid. Layman. n. 1. & 1. de jurisdic. ordin. conclus. 81. Pirrhing. loc. cit.

27 Dubitari potest: *An si Episcopus sit negligens in exercenda Jurisdictione & officio suo, tunc ejus potestas devolvatur ad Archi-Episcopum seu Metropolitanum?*

Affirmativam tenet glossa in cit. cap. Pastoralis. vers. exceptis. de offic. judic. ordin. Hostiensis in summ. §. sunt autem. V. Deses Prasul. eod. & alii communiter. Verum:

Negativa est probabilior & probatur tum argum. cit. cap. Pastoralis. ubi dicitur: quod Archi-episcopus in subditos coepiscopi nullam jurisdictionem habet exceptis quibusdam articulis. Tum quia versamur in materia prohibitoria, eo ipso quod jurisdic. Archi-episcopo in aliquo casu erga subditos episcopi suffraganei concessa non reperitur, prohibita censeri debet. cap. 1. de supplend. neglig. Pralat. in 6. Nullibi autem reperitur expressum, quod Archi-episcopus, si episcopus suffraganeus sit negligens in suo officio, jurisdictionem exercere possit. Abbas in cap. Pastoralis. num. 10. & 12.

Dixi: Jurisdictionem exercere Poterit tamen Archi-episcopus in casu negligentia, si episcopus jurisdictionem exercere negligat, eundem mandatis ac censuris compellere ad justitiam administrandam & offi-

cium præstandum. Layman. de Jurisdic. ordin. conclus. 80.

Objicies 1. Textum in can. cum simus. 3. caus. 9. quest. 3. sed Resp. cit. textum loqui in casu speciali, quando nempe episcopus est negligens in constituendo generalem œconomum in sua Ecclesia, quod non debet extendi ad omnem alium casum negligentia commissa ab episcopo, contra regulam traditam in d. cap. pastoralis in princ. ubi dicitur: quod solum in certis quibusdam casibus specialiter exceptis Archi-episcopus jurisdictionem habeat in subditos episcopi suffraganei.

Objicies 2. Textum in cap. quanto. 7. de offic. judic. ordin. sed resp. textum loqui de Archi-episcopo tanquam ordinario episcopo illius loci. Vel 2. dici potest, quod in cit. cap. factum seu delictum fuerit notorium, quia regulares existentes in provincia Archi-episcopi, extra propriam ejus Diœcesin discurrebant per curias Principum, quod non poterat non esse notorium; Archi-episcopus autem notoria delicta totius provincie punire potest. cap. 1. §. notoria de censib. in 6. Abbas in cap. quanto cit. n. 6.

Quæres 7. *An Archi-Episcopus in Diœcesi suffraganeorum habeat potestatem conferendi sacros ordines, consecrandi Altaria, celebrandi divina officia, &c.*

Resp. Eum non posse, si talia velit facere autoritate propria, secus si autoritate Papæ, vel cum licentia

licentia episcopi diœcesani, tunc enim licite ea facere posset Pirrhing. *sect. 2. §. 2. n. 22. Coroll. 2. de offic. judic. ordin.* aliique ab eo relati. Et ratio prioris est, quia Archi-episcopus nec extrajudicialem potestatem exercere potest in diœcesi sui suffraganei; collatio autem ordinum, consecratio altarium, sine dubio dicunt potestatem extrajudicialem.

30 *Quæres 8. An Archi Episcopus possit absolvere excommunicatum ab Episcopo suffraganeo?*

Resp. 1. Archi-episcopus potest absolvere excommunicatum à suffraganeo, si ab eo ad ipsum fuerit appellatum. *Suarez. Disp. 7. de Censur. Sect. 2. n. 32. & probatur ex cap. per tuas. 40. de sentent. excommunic. cap. venerabilibus. 7. §. porro eod. in 6.* & ratio est, quia per appellationem acquisivit jurisdictionem, cum causa in eum translata sit; accessorium autem sequitur suum principale.

Porro ut licite id fiat, servari debet modus à jure præscriptus, qui colligitur *ex cap. 8. de offic. judic. ordin.* ubi decernitur: Si episcopus diœcesanum sibi subditum excommunicavit, etiam alii episcopi ipseque Metropolitanus ipsum pro excommunicato habere debet, sicut enim ipsi sententias à se latas in subditos inviolabiliter observari volunt, ita etiam canonicè latas ab aliis sententias ac censuras & ipsi debent observare, & facere à subditis suis observari, Si vero excommunicatus

ab episcopo de injusta excommunicatione apud Archi-episcopum conqueratur, is non debet ordinariè eum absolvere, sed Coepiscopo deferens, remittere excommunicatum ad excommunicatorem, ut ab eo secundum ecclesiæ formam, absolvatur, quia sententia excommunicationis (vel alterius censura) per appellationem non suspenditur. Si vero episcopus excommunicatum absolvere recuset, Archi-episcopus eundem absolvat, recipiendo prius ab eo juratoriam cautionem, quod episcopo in eo, propter quod excommunicatus fuit, competentem satisfactionem præstare velit, nisi legitime constiterit, eum injustè excommunicatum fuisse. Poterit igitur Archi-episcopus absolvere excommunicatum. 1. Servatis iis, quæ modo recensui. 2. si constet appellatorem fuisse injustè excommunicatum *d. cap. 8. de offic. judic. ordin.* 3. si episcopus qui excommunicavit, absolvere nolit. *cit. cap. 8. 4. si periculum sit in mora. cap. 48. de sen. ent. excommunic.*

Quæres 9. In quo loco Archi Episcopus possit exercere jurisdictionem suam erga subditos suffraganei?

Resp. Bonifacius VIII in cap. ut litigantes. 5. de offic. jud. ordin. in 6. jubet ne Archi-episcopus causas subditorum Coepiscopi vel suffraganei, quæ per appellationem vel alias jure metropolitano ad ipsum delatæ sunt, alibi cognoscere aut cognoscendas committere seu delegare possit, quam in propria sua
Nn 2 civitate

civitate seu diœcesi, vel in eadem illa diœcesi, ex qua causæ sunt profectæ ac devolutæ, nisi aliud per consuetudinem hac in re sit introductum.

Hactenus de jurisdictione quam habet Archi-episcopus in episcopos suffraganeos sibi in provincia sua subordinatos, tum etiam de jurisdictione quam habet in subditos suffraganeorum; sicut autem Metropolitano est verus episcopus respectu suæ Archi-diœceseos, respectu cujus omnia obtinet jura episcopalia, quæ recensebo §. seq. Sunt autem jura episcopalia duplicia, illa nimirum referri possunt, vel ad potestatem ordinis, vel ad potestatem jurisdictionis. Quoniam verò pontificalis officii plenitudo cum Archi-episcopalis nominis appellatione confertur per pallium, neque Archi-episcopus in sua provincia plenum jus habet, ante suseptionem pallii Archi-episcopalis *cap. 3. de auctoritate & usu Pall.* neque etiam exercere potest actus ordinis illos, qui ab Archi-episcopo, non nisi inter missarum solennia, vel cum episcopalibus insignibus & ornamentis, peragi solent. *cap. 28. §. præterea de Elect.* Hinc.

32 Quæres 10. *Quid sit Pallium Archi-Episcopale?*

Resp. Per pallium hoc loco intelligitur præcipuum Archi-episcoporum insigne seu ornamentum, de corpore S. Petri sumptum, in quo Pontificalis officii plenitudo

cum Archi-episcopalis nominis appellatione confertur. Prout patet ex *cap. significasti 4. de Elect.* ibi: *Cum igitur à sede Apostolica vestra insignia dignitatis exigitis, quæ à Beati Petri corpore tantum assumuntur. &c.* adde *cap. 3. de aurb. & usu Pall.* & habetur apud Hostiensem in *summa num. 1. eod.* Dicitur autem pallium de corpore B. Petri acceptum, vel quia benedicitur ac consecratur à Papa super altari B. Petri, & ille cui competit jus Pallii, recipit illud de altari, si est præsens, vel alius loco ipsius, si est absens, & sic assumitur de corpore B. Petri, ut tradit Glossa in *cit. cap. significasti. v. corpore assumuntur.* quamvis id non sit necessarium, sed etiam ex alio loco, v. g. ex altari capellæ Pontificiæ, pallium recipi possit, ut notavit Hostiensis in *loc. cit. num. 3.* vel potius dicitur assumptum ex corpore B. Petri, quia à solo Romano Pontifice pallium confertur primario, ab aliis verò non nisi ex privilegio ejusdem, ut notat Abbas in *cit. cap. significasti. num. 9.* Est autem pallii usus antiquissimus, & originem habet ab ipsis Petri discipulis, teste Azor, *p. 2. Institut. moral. l. 3. c. 34. quest. 1.*

Porro figuram Pallii describit Abbas in *rubric. de aurb. & usu Pall.* Sylvester in *summa v. Pallium.* Azor. *loc. cit.* quod sit vestis candida ex lana alba contexta, in coronæ seu circuli modum, pectus & humeros circumdans ac quatuor nigris vel purpureis crucibus distincta, ant-

teriore

teriore parte nonnihil dependens. De mystica verò ejus significatione videri potest Abbas in rubrica de *author. & usu Pall.*

Quæres 11. à quo conferri possit & à quo peti debeat Pallium Archi-Episcopale?

- 34 Resp. Pallium petitur & conferitur propria autoritate tantum à summo Pontifice, habetur in textu *d. cap. significasti.* & ibid Abbas *n. 9.* tametii quatuor Patriarchæ Principales, Constantinopolitanus, Antiochenus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, postquam à Romano Pontifice receperunt Pallium, præstito eidem fidelitatis & obedientiæ juramento, licitè & ipsi suis suffraganeis Pallium fuerint largiti recipientes pro se professionem canonicam (sive obedientiam & reverentiam) & pro Romana Ecclesia sponsonem obedientiæ. *cap. 23.* & ibi glossa *v. Professionem. de Privileg.* illud tamen contulerunt non nisi autoritate Papæ, sive ex ejus concessione, & privilegio ipsis à Romana sede concessio; hodierno tamen jure solus Pontifex confert Pallium Archi-episcopis. Azor. *cit. cap. 34. quest. 4.*

Quæres 12. Quibus concedatur sive conferatur pallium?

- 35 Resp. Hoc jus pallii Archi-episcopalis competit imprimis S. Pontifici, veluti Archi-episcopo Romano *cap. 4. de auct. & usu Pall.* Competit 2. Archi-episcopis omnibus superioribus, patriarchis & primatibus. Hostiens. *in Summa n. 3. de auct. &*

usu pall. quibus Papa pallium mittit, si instanter petierint *can. 1. & 2. Dist. 100.* præmissa prius fidei Catholicæ professione & præstito juramento fidelitatis & obedientiæ sedi Apostolicæ. *can. optatum 4. cit. dist. & cap. significasti de Elect.* Denique 3. etiam quibusdam episcopis ex speciali privilegio vel longa consuetudine pallium a sede Apostolica mittitur & traditur: Veluti quinque ecclesiensi in Hungaria, ut patet ex *cap. 15. in princ. de præsumpt.* Ostiensi in Ostiis Tiberinis, decano collegii cardinalium, qui Papam consecrat. Papiensi in Longobardia, Lucensi in Tuscia, Bambergensi in Germania. Hostiens. *loc. cit. n. 3.* Azor *loc. citat. quest. 3.*

Quæres 13. Intra quod tempus petendum sit pallium, & qua forma tradendum?

Resp. Is cui pallii usus competit, debet intra tres menses a die consecrationis, si ante non fuit consecratus, vel a die confirmationis, si jam ante fuit consecratus, cessante justo impedimento, per se vel per alium ad hoc speciale mandatum habentem, petere pallium, alias commissa sibi careat potestate. *can. 1. caus. 4. in fin. dist. 100.* Abbas *in cap. 4. n. 8. de auct. & usu pall.* & datur Metropolitanis aliis licentia post secundam & tertiam commotionem viduatis ecclesiis cum consilio Romani Pontificis, ordinando & consecrando episcopo subvenire. *cit. can. 1.* quod tamen

N n 3

ulti-

ultimum hodieum est immutatum, cum provisio ecclesie viduatæ nullo modo amplius spectet ad ullum Archi-episcum.

Resp. 2. Forma autem verborum qua pallii traditio fieri solet, est talis, ut refert Glossa in cap. 4. de auct. & us. pall. *Ad honorem Dei omnipotentis & B. Mariæ Virginis, & BB. Petri & Pauli Apostolorum & Domini Pape N. & Ecclesie Romane & Ecclesie talis tibi commissa, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, in plenitudinem Pontificalis dignitatis, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam, certis diebus qui exprimentur in privilegiis Ecclesie tue concessis a Romana Ecclesia. est autem moris ut una cum pallio transmissio nova quædam privilegia dentur, vel saltem antiqua confirmentur can. 9. & duobus seqq. dist. 10.*

37 Quæres 14. in quo loco & quando licitum sit uti pallio.

Resp. Solus Romanus Pontifex in omnibus missarum solenniis semper & ubique locorum pallio utitur, quia assumptus est ad plenitudinem ecclesiasticæ potestatis, quæ per pallium significatur, & quam gerit in totam Ecclesiam Christianam. can. 17. can. 21. caus. 9. quest. 3. alii autem quibus pallium concessum est, eo nec semper nec ubique, sed in ecclesia tantum, in qua jurisdictionem ecclesiasticam obtinent, & certis diebus uti debent, quoniam in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis sunt vocati cap. 4. de auct. & us. Pall.

Resp. 2. Non tantum in ecclesiis cathedralibus, sed etiam omnibus aliis provinciæ suæ ecclesiis, Archi-episcopus inter missarum solennia, permisis diebus uti potest pallio, ut constat ex cap. 1. de auct. & usu pall. Nam cum quæsitum fuisset ex Papa Clemente III. quomodo intelligendum sit, quod in forma traditionis pallii habetur, videlicet: *Tradimus tibi pallium ut eo intra ecclesiam tuam utaris.* Respondit Papa ita intelligi debere, ut liceat Archi-episcopo intra quamlibet ecclesiam provinciæ sibi commissæ, pallio uti. Si vero extra ecclesiam sit, quamvis aliis sacris vestibus indutus, v.g. in solenni procesione, pallio uti nullo modo debet. Ratio est, quia quamvis ecclesie episcopalis non alias plerumque strictè accipiatur pro cathedrali tantum attamen in materia hac favorabili & quæ nemini præjudicat, videlicet in privilegio concessio Archi-episcopo, ut utatur pallio in sua ecclesia, nomen ecclesie late accipitur, ita ut comprehendat quamlibet ecclesiam intra totam ejus non solum Diocesim sed etiam Provinciam. Glossa in cit. c. 1. V. quamlibet. & in cit. c. ad honorem 4. V. in ecclesia sua. imo etiam ecclesias exemptas Abbas in cit. c. 1. n. 7. & colligitur ex Clement. 2. de Privileg.

Corollarium 1. ex his inferitur 1. 38 quod Archi-episcopus non possit uti pallio in ecclesiis alienæ Provinciæ. cit. cap. 1. ubi non nisi limitatè conceditur usus Palli, cum restri-

Etio-

Etione scilicet ad Provinciam; quare cum in *cap. 6. de aurb. & us. pall.* dicatur: quod Archiepiscopus ubicunque fuerit in missarum celebrationibus constitutus usum pallii libere possit diebus solennibus exercere, illud verbum restringendum erit ad provinciam, ut sensus sit: *ubicunque in provincia.* Jura enim juribus sunt concordanda *cap. 29. de Elect.* ergo etiam *d. cap. 6. obscurum* explicandum erit juxta *cit. cap. 1. de aurb. & usu Pall.* & ratio est, quia palhura Archiepiscopale denotat jurisdictionem vel præminentiam sicut cætera insignia, adeoque portari non poterit extra limites jurisdictionis etiam voluntarie, ne alterius jurisdictionem usurpare quis videatur:

39 Corollarium 2. Infertur ulterius quod Archiepiscopus nequidem in sua provincia possit uti pallio extra ecclesiam *cit. cap. 1. in fine de aurb. & usu pall.* quare si sub tentorio in castris aut domo privata Archiepiscopus celebret, pallium gestare non poterit.

40 Corollarium 3. deducitur etiam quod Archiepiscopus non possit uti pallio extra missarum solennia. *cap. 4. ibi: in missarum solenniis de aurb. & us. pall. can. 6. dist. 100.* ubi dicitur transmitti Archiepiscopo pallium, ut intra ecclesiam ad sola missarum solennia eo utatur. *Adde can. 8. ead. dist.*

41 Corollarium 4. Deducitur ultimo, quod Archiepiscopus usum pallii non habeat, nisi certis quibusdam diebus, *cit. cap. ad hono-*

rem. ibi: certis debeat uti diebus. Videlicet solennibus. *cap. cum Sis. ibi. diebus solennibus de aurb. & usu pall.* tales autem dies certi & solennes enumerantur a Glossa in *cit. cap. ad honorem.* & Hostiens. in *summa n. 5. eod. tit. 1.* Navitas Domini. 2. Festum S. Joannis. 3. Festum S. Stephani. 4. Circumcisio Domini. 5. Epiphania. 6. In Ramis palmarum. 7. In Cæna Domini. 8. In Sabbatho S. 9. Tribus diebus Resurrectionis. 10. In festo Ascensionis. 11. In festo Pentecostes. 12. In festo S. Johannis & omnium Apostolorum. 13. In quatuor festivitatibus B. V. Mariæ. 14. S. Michaelis. 15. Omnium Sanctorum. 16. In dedicatione ecclesiæ. 17. In festis principalibus Ecclesiæ Archiepiscopalis. 18. In ordinationibus Clericorum. 19. In consecratione Episcoporum. 20. In Anniversario consecrationis Archiepiscopi. & quodsi etiam in festis hisce enumeratis privatim celebraret, neque tunc etiam in his diebus uti posset pallio. *cit. cap. in honorem.* Attenda tamen est primario recepta cujusque ecclesiæ Metropolitanæ consuetudo. Layman. in *cit. cap. ad honorem n. 7.* ubi præterea advertendum est, quod Archiepiscopus nequeat gestare pallium in missis defunctorum, nisi aliud in privilegiis ecclesiæ concessis expressum esset *cap. ult. in fin. de aurb. & us. pall. ibi: Sicque soluta est questio, an sit licitum pro defunctis cum pallio orare, Abbas ibid. n. 3. & 6.*

Quares

Quæres 15. *Quid juris aut potestatis per pallii traditionem consequatur Archi-episcopus?*

42 Resp. Confertur illi plenitudo pontificalis seu Archi-episcopalis officii, una cum nomine Archi-episcopali, ita ut se Archi-episcopum appellare possit. *cap. 3. de auct. & us. pall.* Equidem plenitudo Archi-episcopalis officii in eo consistit, quod Archi-episcopus post acceptum pallium, omnes actus, qui sunt Archi-episcopalis dignitatis, tam ordinis quam jurisdictionis, exercere possit, cum ante pallii receptionem, etiamsi confirmatus sit, imo & consecratus, non possit exercere eos actus, qui ab Archi-episcopo non nisi inter missarum solennia vel saltem cum Archi-episcopalis insignibus & ornamentis peragi solent.

2. Ante receptum pallium nequit exercere actus jurisdictionis majoris, quos non ut simplex episcopus, sed tanquam Archi-episcopus facere videtur: cujusmodi est convocare concilium provinciale, visitare provinciam, &c. *c. 8. §. præterea. de elect.*

Corollarium: Si Archi-episcopus ab alio Archi-episcopo vel Episcopo rogetur, ut extra provinciam suam ordines conferat, vel ecclesiam consecret, non potest id facere indutus pallio, nequidem cum licentia Archi-episcopi illius provincie, cum enim hic pallium dare non possit, neque usum illius concedere potest alteri in sua provin-

cia. Hostiens. *in summa. n. 6. in fin. de auct. & us. Pall.*

Quæres 16. *an pallium Archi-episcopale ad alios transeat?* 43

Resp. Archi-episcopus non potest suum pallium alteri commodare, quia pallium est veluti privilegium personale, quod personæ conceditur cum restrictione ad locum, sive in ordine ad Ecclesias propriæ Provincie; ideoque cum persona extinguitur, ut constat *ex cap. 2. d. 1. ubi Cælestinus III. respondit: Pallium non egredi personam, sed cum ea sepeliri debere. Quamvis igitur jus petendi Pallium à sede Apostolica debeat censeri privilegium reale, cum debeat dignitati Archi-episcopali, eique adhæreat, & ad quemlibet successorem transeat, ipsa tamen concessio Pallii sit personæ, ita ut hæc usum ejus alteri concedere nequeat, sed illud personam inseparabiliter sequatur. Layman. *in cit. cap. 2. n. 2. de auct. & us. Pall.**

Quæres 17. *Si Archi-episcopus auctoritate Pontificia ad aliam sedem transferatur, an possit uti eodem pallio, quo in priore Ecclesia usus est, vel aliud petere & expectare debeat?* 44

Resp. Quod priori nequeat uti, sed aliud petere debet. prob. *ex cap. 4. in fin. de postulat. prælat.* Et ratio est. quia prius Pallium datum est personæ cum restrictione ad certum locum, sive in ordine ad Ecclesias certæ Provincie, ut patet in Archi-episcopo, qui renuntiat loco seu Ecclesie Archi-episcopali,

is enim perdit usum pallii. *cap. 9. de renuntiat.* Ergo etiam Archiepiscopus translatus ad aliam Ecclesiam Metropolitanam, non potest priori pallio uti, extra provinciam illam. Quare prius pallium non remanet quidem in Ecclesia à qua Archiepiscopus est translatus, cum non transeat in successorem, sed personæ sit concessum & illam non egrediatur. *cit. cap. 2. d. 1.* & translatus debet illud secum sumere, licet illo non debeat amplius uti, sed novo concessio pro alia Ecclesia, ad quam est translatus; atque talis Archiepiscopus cum utroque pallio sepeliri debet, ita ut posterius acceptum priori supponatur, vel quod magis congruum videtur, mortuus Archiepiscopus pallio posterius accepto induatur, alterum verò corpori & capiti ejus subjiciatur, Abbas *in cit. cap. 2. n. 7.*

§. III.

DE JURE EPISCOPORUM.

SUMMARIA.

1. Episcopi quinam dicantur?
2. A quo Episcopi immediate acceperint suam Jurisdictionem.
3. Fonnuntur objectiones.
4. An sub nomine Episcoporum veniant Episcopi titulares.
5. Chor-Episcopi quinam dicantur?
6. Lex Jurisdictionis & Diocesana quanam dicantur?
7. Episcopus est ordinarius Judex totius Dioceseos.
8. Concurrat in Jurisdictione cum Prelatis inferioribus secularibus.
9. An Prelati seculares vel Capitulum possit jurisdictionem Ecclesiasticam fori externi privativè acquirere per Prescriptionem?
10. Omnia crimina Clericorum non exemptorum sunt privativè ab Episcopo cognoscenda.
11. Possunt in suis Diocesis liberè punire crimina merè Ecclesiastica vel mixta.
12. An valeat prescriptio contra Episcopum, quæ adimatur Episcopo facultas puniendi & corrigendi, casu quo Prelati inferiores essent negligentes?
13. An Capitulum Cathedralè possit supplere negligentiam Episcopi?
14. Quando Prelatus exemptus est negligens, ad quem devolvatur jus corrigendi & puniendi?
15. Episcopus vel Prelatus habens Jurisdictionem quasi Episcopalem, an per ministros suos possit capere reos sive Clericos sive Laicos?
16. Annotatur Corollarium, quoad violationem juris territorialis.
17. Regulares non exempti potius tenentur parere suo Prelato quam Episcopo, Et quo sensu id verum sit?
18. Institutio in beneficiis Ecclesiasticis quid sit?

sit? 19. *Quinam competat jus instituendi & destituendi.* 20. *Si Patronus Laicus indignum praesentet ad vacans beneficium, quid juris competat Episcopo?* 21. *Item quid juris circa Patronum Ecclesiasticum?* 22. *An Episcopus habeat jus inferendi censuras?* 23. *An & quando Episcopi possint absolvere à censuris Ecclesiasticis?* 24. *An Episcopus possit dispensare in poenis latae sententiae, seu ab ipso jure inflictiis?* 25. *Episcopi Germania possunt absolvere à casibus papalibus sive Papae reservatis.* 26. *An & quando Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata per Praelatos ordinum non exemptorum.* 27. *An mortuo legato Papae, Episcopus possit absolvere ab excommunicatione lata per deligatum Papae?* 28. *Et quid observandum sit Episcopo, quoad alios actus judiciales à legato Papae inchoatos?* 29. *Num potestas absolvendi à censuris ab Episcopo alteri committi possit?* 30. *An Episcopi possint dispensare in sacris canonibus?* 31. *Solvuntur objectiones.* 32. *Recensentur casus in quibus possit Episcopus dispensare in jure communi.* 33. *An & quando ad Episcopum pertineat jus conferendi sacramenta & alia sacra?* 34. *An & quando Episcopus possit concedere indulgentias?* 35. *Episcopo competit jus visitandi dioecesis.* 36. *Quinam adhibendi sint ad visitationes peragendas?* 38. *In quibus casibus Episcopus loci jurisdictionem habeat in regulares exemptos?* 39. *Moniales etiam exempti quoad*

clausuram subjacent Episcopo. 40. *Moniales quae clausuram non sunt professae, ad eam amplectendam compelli nequeunt, nisi ob delicta earum.* 41. *Confessarii & administratores bonorum Monialium etiam exemptarum, qualiter subjiciantur Episcopo?* 42. *In quo loco Episcopus possit suam jurisdictionem exercere?* 43. *An possit eam exercere in loco exempto intra Dioecesis situm?* 44. *In quibus casibus jurisdictionis Episcopi in Protestantes sit suspensa?* 45. *Si Episcopus per 60. aut 70. annos non sit usus sua jurisdictione in A catholicos, an possint A catholici beneficiorum praescriptionis obtendere?* 46. *Quid intelligatur per publicum vel privatum sacrorum exercitium?* 47. *Quenam spectent ad legem dioecesanam?* 48. *Quid praestandum sit Episcopo tempore visitationis?* 49. *Quid sit, à quo & quando peti possit subsidium charitativum?* 50. *Quando Episcopus incipiat posse exercere suam jurisdictionem?* 51. *Intra quod tempus Episcopus debeat consecrari?* 52. *Quoi sint modi dignitates ecclesiasticas obtinendi?* 53. *Jus nominandi an olim habuerint Imperatores, & quo tempore hoc ab eis sit ablatum?* 54. *Annata ab Episcopo neo electo solvenda, unde dicantur & quotuplices sint;* 55. *à quibus annata solvi debeant?* 56. *Quis fuerit auctor annatarum?* 57. *An licite potuerint introduci.*

Jura Episcoporum sunt duplicia, vel enim pertinent ad legem jurisdictionis, vel ad legem diœcesanam. Quanam verò dicatur lex diœcesana vel jurisdictionis, ac quanam ad ea sint referenda, mox infra dicetur.

1 *Quæres 1. Episcopi quinam dicantur & sint, sive qui veniat sub nomine episcopi?*

Resp. Antiquissimum esse episcopi nomen, & non solum in veteri Testamento, juxta illud *Psal. 108. Episcopatum ejus accipiet alter*, sed etiam apud Jurisconsultos Ethnicos usitatum. *l. 18. §. 7. ff. de muneribus & honoribus*. Hodie tamen nomen hoc in sola Religione Christiana reperitur, ac officium denotat. Veteri nihilominus sensu servato adhuc significat præcedentiam & præfecturam, qua episcopus clero ac populo præest; Unde episcopi alio nomine etiam speculatores *in can. 1. dist. 21*, & superintendentes *in can. 1. c. qui Episcopatum. 11. caus. 8. quest. 1.* appellantur; & apud Augustinæ Confessioni addictos retentum est; *Epi enim græcè super, & scopus idem quod intentio significat.*

Episcopos in Hierarchia ecclesiastica esse majores tum ordine tum jurisdictione presbyteris, colligitur ex Evangelio, ubi legitur: Christum alios Apostolos alios discipulos elegisse. *Luc. 6. & 10.* adeoque in locum Apostolorum Episcopi, & in locum discipulorum presbyteri alii-que ecclesiæ ministri successerunt. *can. 2. dist. 21, can. 6. dist. 68.* Licet

interim in primitiva ecclesia, ubi fides christiana necdum in multas orbis partes diffusa, episcopalis dignitas non ita enituerit, & episcopi tunc presbyterorum officio functi, presbyteris è contra potestas episcopalis communicata, & propterea frequenter presbyteri episcoporum nomine insigniti fuerint. Hinc

2 *Quæres 2. An Episcopi potestatem jurisdictionis immediate à Christo, an verò ab Ecclesia ejusque capite Romano Pontifice acceperint?*

Prima sententia tenet, quod immediate acceperint à Christo, quam sententiam sequuntur Petrus Sotus & plures alii Doctores apud Azor. *p. 2. Institut. moral. lib. 3. cap. 30. quest. 13.* quorum fundamentum infra in objectionibus referam.

Altera & verior sententia docet, quam tenet Turrecremata *in can. 1. dist. 22.* Azor. *loc. cit.* Molina *Tr. 4. de Justit. Diss. 4. n. 1. & 2.* Barbosa *part. 1. de offic. & potest. Episc. tit. 1. cap. 1. n. 18. & seqq.* Fagnanus *in cap. 1. num. 30. & seqq. de offic. judic. ordin.* quod licet ipsum episcopale munus seu officium, ejusque jurisdictionis sit à Christo instituta in genere, adeoque non sit temporalis gubernandi potestas à Republica vel Magistratu humano & civili instituta, sed spiritualis & divina à Christo instituta in genere, si tamen consideretur episcopalis jurisdictionis & ipsum officium episcopale, prout in particulari huic vel illi subjecto confertur, respectu

horum vel illorum subditorum; hoc modo & respectu ejus jurisdictionis immediate derivetur & conferatur à Romano Pontifice, tanquam Vicario Christi, & summo universalis Ecclesiae Pastore ac successore Petri, cui à Christo dictum est: *Pasce oves meas. Joan. 21.* à quo tota jurisdictionis tam in conscientia, quam in externo foro, in reliquis Ecclesiae potestates, ut in patriarchas, episcopos, omnes praelatos religionum, & in quoscunque alios judices ecclesiasticos derivatur. Et

Prob. 1. ex plurimis antiquis canonibus, in quibus dicitur: quod ecclesia Romana sit prima, quae ita reliquis vices suas credidit largiendas, ut in partem sint vocatae sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. *can. 12. caus. 2. quest. 6. 2.* Quod omnes Patriarchales, Metropolitanas, Episcopales Ecclesias instituit Romana Ecclesia, habetur in *can. 1. dist. 22.* 3. Quod Apostolica sedes est cardo & caput omnium Ecclesiarum à Domino constituta, à quo omnes Ecclesiae reguntur, sicut cardine ostium regitur. *can. 2. dist. 1.* quarto nullum instituisse Ecclesias, nisi eos: quos Apostolus Petrus, aut ejus successores constituerunt sacerdotes; & ab Ecclesia Romana eos principium accepisse. *can. 11. dist. 11.* Quinto Ecclesiae particulares comparantur ad Ecclesiam Romanam sicut radii ad solem, rami ad radicem, rivuli ad fontem. *can. 18. caus. 24.*

quest. 1. unde evidenter inferitur, quod omnes Ecclesiae particulares, ab Ecclesia Romana ejusque capite Romano Pontifice, proxime sumant initium, originem & omnem potestatem jurisdictionis.

Prob. 2. Ratione S. Thomae 2. 2. *quest. 39. art. 3.* si potestas jurisdictionis episcopalis immediate esset data à Christo, non posset episcopis auferri ab ecclesia vel summo Pontifice, sicut potestas sacramentalis seu ordinis non potest auferri, quia confertur per consecrationem, per quam imprimitur animae character indelebilis, ac proinde immediate confertur & accipitur à Christo. Atqui potestas jurisdictionis episcopis potest auferri ab ecclesia vel summo Pontifice, ut patet in episcopo excommunicato, suspensio, degradato, deposito, haeretico vel schismatico. Ergo falsum est potestatem jurisdictionalem episcoporum immediate conferri vel accipi à Christo. *Azor. cit. cap. 30. quest. 13.*

Objicies 1. Illud *act. 10. attendite vobis & universo gregi, in quo Spiritus S. vobis posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* Ergo.

Resp. Episcopos esse a Spiritu S. constitutos in particularibus ecclesiis immediate. N. mediate: mediante jurisdictione, quae proxime tribuitur ab ecclesia vel Papa. C. sicut etiam illi episcopi de quibus loquitur Paulus, erant a Spiritu S. positi, non quidem proxime, sed per ipsos Apostolos, qui illis juris-

dictio-

dictionem dederant. Sic quod ecclesia facit vel præcipit, dicitur Spiritus S. facere, non proxime sed mediante ecclesia, quomodo etiam idem S. Paulus *ad Ephef. 4.* dicit: Deum posuisse quosdam Apostolos, alios Doctores, alios Pastores, usque ad consummationem sæculi, & tamen non omnes Doctores aut Pastores ponit Deus immediate per se ipsum, sed per Vicarium suum, scilicet Papam. *Azor. loc. cit.*

Objicies 2. Episcopi successerunt in locum Apostolorum *can. 2. diff. 21.* & tradit concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 4.* Subsumo: atqui Apostoli immediate a Christo acceperunt potestatem jurisdictionis. Ergo etiam censi debet Apostolorum successoribus ab eodem immediate esse concessam jurisdictionem.

Resp. 1. N. Subf. plures equidem dicunt Apostolos non immediate accepisse jurisdictionem a Christo, sed a Petro *can. 7. diff. 19.*

Resp. 2. N. conseq. ex eo enim quod Christus in primæ ecclesiæ fundatione immediate dederit potestatem jurisdictionis, non bene infertur: ergo etiam postea in propagatione ecclesiæ immediate eandem potestatem dat aliis episcopis, qui non sunt Apostoli, & non mediante Vicario suo generali; sicut non sequitur: in prima creatione mundi cæli & elementa ac partes principales mundi immediate a Deo facta fuerunt, ergo etiam in

propagatione mundi omnia immediate fiunt a Deo, non mediantebus causis secundis. *Turrecremata. loc. cit. disp. 22. n. 3.*

Instas. Pontifex habet suam potestatem immediate a Christo, ex *id. supra.* Ergo etiam episcopi; vel detur disparitas.

Resp. C. Antec. N. conseq. disparitas hæc est, quia Petrus constitutus fuit a Christo Vicarius, ipsique dedit Christus, ut, capiti potestatem per totum orbem instituendi & creandi episcopos omnium ecclesiarum, quæ cum data sit ratione officii vicariatus, velut ordinaria & perpetuo duratura, etiam ad successores Petri transit. At vero cæteri Apostoli acceperunt quidem a Christo immediate etiam potestatem fundandi ecclesias, & constituendi episcopos per totum orbem, sed tanquam personale privilegium ea potestas data fuit apostolis, ideoque ipsis decedentibus exspiravit, nec ad successores episcopos transit, quia ipsi non successerunt apostolis in dignitate apostolatus, cui illa potestas annexa fuit, sed solum in officio episcopatus; & quamvis etiam primi episcopi, qui apostolis successerunt, & a quibus in certis ecclesiis sunt constituti, ab iisdem acceperint jurisdictionem ordinariam, tamen post mortem eorum Petro vel ejus successoribus subjectam. *Barbosa loc. cit. n. 31. & seqq.*

Corollarium. Sub nomine episcoporum hic improprie & valde late

late comprehenduntur ac nuncupantur episcopi titulares, nominales, quorum tituli & diœceses sunt in partibus infidelium, nec jurisdictionem nec subditos habent, nisi in actu primo, ac potentia, tunc saltem in actum secundum exitura, quando erit *unus pastor & unum ovile*. Hi inquam episcopi nominales quoad characterem sacramentalem & potestatem ordinis sunt reliquis episcopis æquales, quæ ratio est, quod aliquatam adhuc obtineant prerogativam & præminentiam episcopis competere solitam; quoad potestatem jurisdictionis autem, sicut dixi, nullam habent, sed in Germania agunt reliquorum Germanorum episcoporum in pontificalibus Vicarios, communiter dictos suffraganeos (*Weyh* & *Bischöffe*) quorum munus est, ut episcopis ægotantibus, absentibus aut alias legitime impeditis, eorum vires suppleant, sacros ordines conferant, ecclesias dedificent, altaria consecrent &c. De his in præsentia nulla est quaestio, sed de iis duntaxat, qui actualem exercent jurisdictionem ecclesiasticam, & in actu secundo Diœcesin ac subditos habent.

5 Corollarium 2. Sub nomine episcoporum multo minus veniunt ac comprehenduntur Chor-episcopi: hi equidem nec quoad potestatem jurisdictionis vere episcopi sunt, nec quoad potestatem ordinis; equidem cum consecrati non sint,

characterem episcopalem non habent; non quoad potestatem jurisdictionis: cum nec diœcesin nec subditos habeant. Olim vero Chor-episcopi erant Presbyteri, ut in villis aut pagis curam animarum gererent loco episcopi, licet non possent absque episcopi licentia vel consensu ea quæ sunt ordinis exercere. Ut in concilio Neocæsariensi *cap. 3.* in Antiocheno *cap. 20.* & Hispalensi *cap. 20.* quod etiam pluribus probant & decernunt Damasc. *Epist. 1.* Leo *Epist. 36.* Joannes III. *Epist. 1.* & concilium Antiochenum *cap. 4.* Statuit, ne ii qui in vicis Chor-episcopi appellantur, presbyterum & diaconum audeant ordinare præter civitatis episcopum, sed contenti sint propria sollicitudine & gubernatione, quam susceperunt. quorum tamen ordo postea fuit ab ecclesia penitus reprobatus. Ut in *can. Chorepiscopi Dist. 68.* quid de Chor-episcopis senserit Joannes III. constat ex ejus epistola ad episcopos Germaniæ & Galliæ, quæ habetur *tom. 2. Concil. part. 3. p. 205. Col. 2.* ibi: *ideoque illos quos Chor-episcopos vocatis &c.* Episcopos non esse, nec aliquid de Pontificali privilegio agere debere, perspicuum est. Hodie tamen in Germania ubi inveniuntur Chor-episcopi, hi non sunt tales, quales olim, sed mera gerunt nomina, ad significandam aliquam præminentiam præ reliquis Canonicis ecclesiæ ejusdem, in qua sunt, de dignitate autem vel potestate episcopali nihil participant, adeoque

que nec sub reprobatis in *d. can. Chor-episcopi*; continentur.

6

Quæres 3. *Queram dicatur Lex diœcesana & Lex jurisdictionis?*

Ad hanc quæstionem Glossa tradit regulam, quod ea, quæ consistunt in dando seu conferendo vel in actione, pertineant ad legem jurisdictionis, talia sunt causas audire, delicta punire, instituere vel destituere, visitare, excommunicare, suspendere, interdicere, conferre sacramenta, & alia similia. At verò quæ consistunt in recipiendo, sive ut Hostiensis loquitur in passione, ea ad legem Diœcesanam spectant, cujusmodi sunt recipere Carhedraticum, quartam decimarum, & mortuorum &c.

Verum hanc regulam improbat Pirrhing. *sect. 3. §. 2. num. 44. de offic. judic. ordin.* eo quod jure probari non possit, cum nullibi dicatur, quod ea, quæ consistunt in dando, sint de lege jurisdictionis, quæ verò in recipiendo, sint de lege diœcesana, quin potius id convinci possit falsitatis ex eo, quod procuraciones constant in recipiendo, & tamen monasteria non sunt exempta à procuracionibus debitis ratione visitationis. *cap. 14. de censur.* & ad quartam mortuorum obligantur etiam monasteria *cap. 15. de testam.* & tamen in recipiendo consistit, monasteria verò regulariter non obligantur, ad ea quæ ad legem diœcesanam pertinent, ob favorem

religionis *can. inter cetera. 8. caus. 10. quest. 10.* è contra verò synodi celebratio non consistit in recipiendo, in quo præsidet episcopus & jurisdictionem exercet, & non venientes punit, & tamen secundum Glossam est de lege Diœcesana, Igitur

Melius sentit Gonzalez. *ad cap. 18. num. 9. de offic. judic. ordin.* qui dicit per legem ibidem intelligi rationem formalem, ita ut illa, quæ spectant ad episcopum ratione jurisdictionis episcopalis, dicantur pertinere ad legem jurisdictionis, quæ verò spectant ad episcopum ratione diœcesis, censeantur ad legem diœcesanam pertinere. Imo addit Pirrhing. *l. c. sect. 2. §. 2. num. 44. circa med.* illa à quibus monasteria non reperiuntur exempta de jure, illa pertinere ad legem jurisdictionis, illa verò à quibus exempta de jure reperiuntur, ad legem diœcesanam referri. Hic tamen advertendum etiam est, legem diœcesanam & legem jurisdictionis si strictè sumantur, eas distingui quidem, si tamen late sumantur, lex diœcesana etiam sub se comprehendit legem jurisdictionis. Abbas in *cap. 18. num. 2. Imola num 6. in fine de offic. judic. ordin.*

Quæres 4. *Quenam pertineant ad legem jurisdictionis, sive quanam facere possit vi jurisdictionis Episcopalis?*

Resp. I. Ad legem jurisdictionalem pertinet imprimis cognitio judicialis omnium causarum ad forum ecclesiasticum externum spectan.

spectantium, quas tanquam ordinarius iudex totius diœcesis per se vel per alium audire potest & cognoscere. *cap. conquerente de offic. judic. ordin.*

7 Resp. 2. Episcopus spectato jure communi in jurisdictione cumulative concurrat cum Prælati inferioribus sæcularibus, qui ecclesiasticam jurisdictionem fori externi ordinariam habent subordinatam Episcopo, cui sunt subjecti, veluti Decanus vel Capitulum Cathedralæ, Præpositus seu Rector Ecclesiæ Collegiatæ; item Abbas non exemptus, ita ut inter eos locus sit præventioni, & in causis civilibus optio detur actori, an reum statim convenire velit coram episcopo, an verò coram inferiore Prælate ecclesiastico. *argum. l. ult. C. de Jurisdic. omn. judic.* Nam Episcopus est ordinarius iudex omnium clericorum totius diœcesis. *cap. 7. de offic. judic. ordin. in 6. Abbas in cap. 3. d. 1. n. 9.*

8 Dixi: spectato jure communi. Possunt equidem Prælati inferiores contra Episcopum in certâ parte diœceseos per privilegium vel legitimam præscriptionem acquirere jurisdictionem fori externi privative, seu excluso episcopo, ut aperte colligitur ex *cap. 13. juncta glossa V. Capitulum. de offic. judic. ordin.* Abbas *ibid. n. 1. & in cap. 11. n. 7. eod.* quo casu episcopus non poterit cognoscere causas, nec se immiscere, nisi ab inferiore Prælate ad ipsum appelletur. Abbas *loc. cit.* Sic de

facto in pluribus Ecclesiis cathedralibus Germaniæ videmus obtinere, ut jurisdictione ecclesiastica fori externi in causis civilibus penes Decanum & Capitulum privative resideat, quod in specie obtinet in Ecclesia Cathedrali Herbipolenti. Imò de consuetudine diœceseos Herbipolensis omnes inferiores Prælati non exempti obtinent privative, id est excluso episcopo primam instantiam.

Resp. 3. Clerici five sæculares, five regulares in causis criminalibus coram episcopo privative five exclusis Prælati inferioribus sunt conveniendi. *can. 1. in fin. caus. 16. quest. 2. can. 38. caus. 11. quest. 1. Abbas loc. cit. Pirrhing. loc. cit. §. 3. n. 45.*

Resp. 4. Episcopi habent jurisdictionem ordinariam ac liberam potestatem in diœcesibus suis adulteria & alia scelera secundum canones inquirendi & puniendi absque alicujus impedimento, & si opus fuerit: possunt etiam auxilium sæcularis magistratus invocare; non ut unus magistratus alteri præjudicet, sed ut mutuo se adjuvantes, id quod Deo placitum est, exequantur. Prout statuitur in *cap. 1. c. 12. in princ. de offic. jud. ordin.*

Potest igitur episcopus in criminibus procedere per viam inquisitionis, dummodo præcedat infamia, (si instituitur inquisitio ordinaria & specialis contra certam personam) quæ vicem accusatoris sustinet, *cap. 24. de accusat.* Si vero insti-

instituitur inquisitio extraordinaria & generaliter inquiritur, ut cum episcopus visitans diœcesin ex officio generaliter inquirat, an non aliqui criminosi reperiantur vel crimina committantur, vel si crimen quidem sit notorium, sed ignoratus quis fecerit, tum summarie & sine strepitu iudicii procedi potest, etiamsi infamia non præcedat.

Imo possunt Episcopi inquirere & punire crimina non tantum clericorum sæcularium & regularium non exemptorum, *cap. 12. de offic. judic. ordin.* sed ipsorum etiam laicorum, quia *cap. 1. d. 1.* generaliter loquitur de tota Diœcesi, adeoque non est restringendum ad clericos, de quibus nullum fuerat dubium, sed etiam laicos comprehendit, quoad crimina mere ecclesiastica, ut est hæresis, Simonia; vel quæ sunt mixti fori, de quibus uterque Iudex ecclesiasticus & sæcularis cognoscere potest, & est inter eos præventioni locus, quale mixtum crimen est, v. g. adulterium, in quo episcopus procedere potest etiam contra laicos, si agatur de ejus prohibitione & punitione; secus est, si agatur ad separationem tori, tunc enim est crimen mere ecclesiasticum, de quo non potest iudex sæcularis cognoscere; quoad alia vero crimina, quæ non sunt mere ecclesiastica, nec mixti fori, non possunt se regulariter immiscere episcopi, in quos temporalem jurisdictionem non habent, cum ecclesiastica &

sæcularis sint potestates separatae ac distinctæ. *Glossa in cap. 1. V. secundum quod canones.* Imola *ibid. n. 5.* Abbas *num. 6. de offic. judic. ordin.* & alii Doctores communiter.

Resp. 5. Quamvis Prælatus inferior episcopo vel capitulum possit per legitimam præscriptionem obtinere jurisdictionem seu potestatem corrigendi & puniendi suos clericos subditos, etiam excluso episcopo, prout colligitur *ex cap. irrefragabilis. de offic. jud. ordin.* & docet *ibid.* Abbas *n. 1.* non tamen valet præscriptio quantumvis diuturna, per quam episcopo omne jus corrigendi, etiam in habitu auferatur, ita ut tamen inferior, ad quem ex privilegio vel præscriptione pertinet correctio, eam negligat, episcopus se immiscere eamque supplere non possit; ut patet *ex cit. cap. irrefragabilis. in princ.* Et ratio est, quia talis præscriptio esset perniciofa ecclesiæ, imo fini & institutioni officii episcopalis derogaret ac repugnaret, quod se ad omnes Diœcesanos extendit, qui specialiter exempti non sunt. *argum. cap. cum non liceat. 12. de præscript.* Layman, *in cit. cap. irrefragabilis n. 3.*

Resp. 6. Episcopus supplet negligentiam capituli cathedralis vel Decani, *juxta dd.* non tamen e contrario inferior supplet negligentiam episcopi, quia jurisdictio ad solum episcopum principaliter spectat. Abbas *loc. cit. n. 3.* Quod si
Pp Dicas:

Dicas: In collatione beneficiorum propter negligentiam episcopi potestas conferendi ad capitulum devolvitur. *cap. 2. de concess. prebend.* ergo etiam in casu negligentiae devolvitur exercitium jurisdictionis ad capitulum.

Resp. C. Antec. N. Conseq. Disparitas est, quia major communio sive conjunctio est inter episcopum & capitulum in collatione beneficiorum, quam in exercenda jurisdictione, nam episcopus & capitulum spectato jure communi regulariter debent simul beneficia conferre; jurisdictio vero principaliter ad solum episcopum pertinet.

14 Resp. 7. Quando Prælatus Episcopo inferior sed *exemptus*, est negligens in corrigendis subditis, potestas corrigendi non devolvitur ad episcopum, sed ad superiorem illius Prælati exempti. Ut si Prælatus sive Abbas exemptus negligens sit in corrigendo monachos suos, potestas corrigendi non ad episcopum diocesenum, sed ad Papam devolvitur. Abbas *in cap. 19. n. 6. de offic. judic. ordin.* Pirrhing. *sect. 3. S. 3. n. 54. eod. tit.* idemque dicendum est, si Abbas seu Prælatus exemptus habeat Ecclesias aliquas monasterio suo pleno jure subjectas, seu incorporatas, & remissus sit in corrigendo, tunc enim potestas corrigendi non ad episcopum diocesenum, sed ad Papam devolvitur, prout sumitur ex *cit. cap. 19.* Ratio est, quia licet Papa mandet Episcopo, ut Clericos suæ Diœce-

feos corrigat, non tamen censetur eum facere delegatum, sive dare ei potestatem in exemptos, sed excitare officium ipsius seu potestatem ordinariam, ne in ea exercenda sit negligens; neque enim censeri debet per mandatum generale concessum derogari speciali, scilicet privilegio exemptionis, si de illo non fiat mentio in generali. *argum. cap. 12. de offic. judic. ordin.*

Resp 8. Episcopi & similes Prælati, qui quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent, reos clericos in causis seu criminibus ad forum ecclesiasticum spectantibus, non solum per ministros suos capere, sed etiam pœna carceris, triremium, verberum, afficere possunt. *cap. 7. de offic. judic. ordin. in 6. cum merum & mixtum imperium habeant.* Abbas *in cap. 10. n. 8. de offic. judic. ordin.* exceptis iis quæ ad primum gradum pertinent, & Papæ specialiter reservata sunt *cap. 4. de offic. de legat.* Non tamen pœnam mutilationis vel mortis infligere possunt, sed si crimen meretur, clericos degradare debent, & degradatos judici sæculari tradere. *cap. 4. de rapt. Molina Tract. 5. Diss. 7. n. 1. Layman, de jurisdic. ordin. conclus. 66.* quin imo etiam laicos ab episcopo, non solum ob crimen hæresis, juxta *cap. 12. & cap. 18. de hæretic. in 6.* sed etiam ob alia crimina, quæ vel merè ecclesiastica sunt, vel mixta seu utriusque fori (in quibus etiam laici subjiciuntur jurisdictioni seu foro ecclesiastico episcopi) capi, in-

incarcerari ac puniri posse probabilius est, cum ad merum imperium, quod Episcopus in suo foro ecclesiastico exercet, pertineat jus facinorosos capiendi, incarcerandi, puniendi. Covarruv. *Pract. quest. cap. 10. num. 2.* Cardinalis Tuschus *V. Episcopus. concl. 15.* Martha *Tract. de jurisdic. part. 1. cap. 10. n. 8. & seqq.* idque aperte sumitur ex can. 10. juncta Glossa *V. Verberibus. caus. 26. quest. 5.* ubi de laicis est sermo, quod episcopus eos possit verberibus castigare, & in carcerem mittere reos. Si

Dicas: in *cap. 7. de offic. jud. ordin. in 6.* ait Pontifex: Episcopum ecclesiasticas personas posse capere, & incarcerare ob delicta. Ergo id ipsum videtur negare de laicis,

Resp. 1. N. Conseq. quia argumentum à sensu contrario non est efficax, si contrarium habeatur jure expressum, uti habetur *ait. can. 10. caus. 26. quest. 5.*

Resp. 2. Dici posse, quod Bonifacius VIII. in *cit. cap. 7.* non fecerit mentionem de laicis, sed de solis ecclesiasticis seu clericis, quia in hos generatim & indifferenter episcopus jurisdictionem exercet, in laicos verò solum in ordine ad certas causas seu crimina, quæ eo loco specificè exprimere Pontifex non intendit. Layman, *ibid. num. 3.* ex quo deducitur.

Corollarium bene advertendum, quod si episcopus laicum criminis ecclesiasti reum capi faciat in ter-

ritorio licet alieno, in quo tamen habeat jurisdictionem diocesanam, fracta publicæ pacis argui non possit, qui enim facit id quod jure potest, contra jus pacis publicæ non agit. Tum etiam, licet capiat in territorio alieno, in sua tamen capit diœcesi, adeoque non tam in alieno territorio, quam propria diœcesi capere censetur.

Resp. 9. Episcopus potest etiam pœnas seu multas pecuniarias imponere, tum clericis sibi subjectis, tum laicis ob delicta ad forum ecclesiasticum pertinentia, v. g. ob blasphemiam, percussionem clerici, aut immunitatis ecclesiasticæ violationem, *cap. 4. de rap. & sumitur etiam ex can. 55. caus. 16. quest. 1.* juncta Glossa *ibid. V. Bannum. cap. 18. de offic. judic. ordin.* Joan. Andr. *ibid. n. 7.* Abbas *num. 1.* Imola *n. 1.* Barbosa *de offic. Episc. alleg. 107. n. 18.* & potest episcopus talem pœnam pecuniariam sibi, vel fisco seu cameræ suæ applicare. *argum. cit. cap. 18. de off. judic. ordin.* Verum juxta decretum concilii Trid. *sess. 25. cap. 3. de reform.* hæ multæ causis piis applicari debent.

Resp. 10. Etsi regulares non exempti, quoad disciplinam regularem, subsint suo Abbati seu Prælato ordinis, ita ut in iis quæ ad regulares observationes spectant, magis obedire debeant Prælato quam episcopo, adeoque etiam in his potestas corrigendi primò & immediatè ad Prælatum ordinis spectet,

spectet, cui ratione voti obedientiae sunt subiecti, ita ut contumaces & incorrigibiles, etiam eicere possit, ut docet Sanchez. *lib. 6. moral. cap. 1. n. 12.* attamen in iis quae ad ecclesiasticam disciplinam pertinent, & quoad punitionem criminum graviorum, praesertim quae depositionem merentur, directe & immediatè subjiuntur religiosi non exempti episcopo seu ordinario loci, cui etiam in his ipsimet eorum Praelati. Sanchez. *loc. cit. n. 13.* Pirhing. *sect. 3. §. 3. n. 58.* de offic. judic. ordin. alique ab eo relati. Nam regulares non exempti, sicut alii clerici, legi jurisdictionis episcopi subiecti, etiam ratione voti ei non subdantur.

Resp. II. Si Praelatus regularis non exemptus sit negligens in regulari disciplina observanda, & quotidianis erratis corrigendis, post monitionem factam, ad episcopum devolvitur potestas corrigendi, nam ob hanc causam monasteria visitantur ab episcopis, ut inquiratur, an regularis disciplina in iis vigeat, nec ne; prout sumitur ex *cap. 7. de offic. judic. ordin.* Correctio igitur regularium in iis, quae disciplinam regularem concernunt, primo loco spectat ad praelatos eorum, & si hi sint negligentes in corrigendo, tunc episcopi eos corrigere debent. Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 10. cap. 11. n. 15.*

Verum in causis civilibus, si religiosus extra monasterium degens, v. g. studiorum causa in Academia,

debitum contrahat, coram episcopo potius judicialiter conveniendus erit, quam coram Praelato ordinis, quia cum solutio ex bonis monasterii fieri debeat, Abbas esset iudex in causa propria, si verò monasterium, ad quod religiosus debitor pertinet, & ex cuius bonis solvendum est debitum, Abbati alterius monasterii sit subiectum, tunc Episcopus & Abbas ille superior in jurisdictione concurrunt, ita ut coram utroque, & pro arbitrio conveniri possit religiosus ille in causa debiti, & praeventioni inter illos sit locus; nisi actor ultra velit iudicio Abbatis se subicere, quia potius monasterium tangit quam ejus Praelatum, tunc enim non prohibetur de ea judicare. Layman. *de jurisd. ordin. conclus. 119.* quod verò attinet regulares exemptos, illi juxta privilegia apostolica extra monasterium degentes, coram locorum ordinariis conveniri non possunt, non obstante Concil. Trident. *sess. 7. cap. 14. de reform.*

Quaeres 5. Quam potestatem habeat Episcopus instituendi in beneficiis & destituendi seu deponendi?

Consistit lex jurisdictionalis episcopi etiam in institutione in beneficiis & destitutione seu depositione *cap. conquirente de offic. judic. ordin.*

Sumitur autem hic institutio latè, ut pro libera collatione, vel pro confirmatione electionis, aut nominationis ad beneficium aliquod

quod per alium, quam episcopum facta, vel pro approbatione presentati à Patrono ad beneficium patronatum, vel pro confirmatione collationis ab alio ex privilegio vel consuetudine facta, quam ab Episcopo. Tholosanus *in explicat. ad d. cap. conquerente. c. 8.* quamvis interdum etiam institutio accipiatur pro investitura, sive inductione in actualem possessionem beneficii. Destitutio verò opponitur institutioni, & est depositio ac remotio, vel ab officio & beneficio ecclesiastico in perpetuum, vel à privilegiis clericalibus fori & canonis & omnibus aliis, quæ degradatio verbalis, vel ab ordine: quæ degradatio realis sive actualis vocatur. ut supra dixi. *dissert. 2.*

19 Porro cui competit de jure communi jus instituendi, eidem etiam competit jus destituendi; unde Episcopus super utroque jure habet fundatam intentionem suam, in omnibus Ecclesiis suæ diœceseos. *can. 20. caus. 16. quest. 7. cap. cum ex-juncto. in fin. de heretic. secus si institutio alicui competat ex jure speciali, scilicet privilegio, vel ex præscriptione, tum enim acquisita institutione, non censetur etiam acquisita destitutio. Felinus in cap. conquerente. in princ. Fagnanus ibid. n. 19. & 20.*

20 Resp. 1. Si vacantibus Ecclesiis Patronus laicus ad illas personam minus idoneam presentet, vel de jure presentandi inter ipsum & Episcopum sit controversia, vel si

ob aliam causam; v. gr. ob magnum scandalum, non possit statim rector vel beneficiatus institui, tunc poterit Episcopus interim remota appellatione, oeconomos constituere, qui Ecclesiæ vel beneficii vacantis fructus percipiant, eosque in Ecclesiæ utilitatem expendant, seu convertant, vel futuro successori reservent. prout statuit Alexander III. *in cap. 4. de offic. judic. ordin.*

Resp. 2. Si Patronus laicus indignum presentet ad Ecclesiam vel beneficium, non ideo est pro ea vice privatus, nec privandus jure ac potestate presentandi, sed alium eumque idoneum presentare debet ut colligitur ex *cir. cap. quod si tamen Patronus laicus intra quatuor menses ipsi ad presentandum præfixos de jure, cap. 3. cap. 27. de Jure Patron.* alium presentare omittat, tum libera provisio seu collatio ad ordinarium collatorem devolvitur, quia paria sunt nullum vel indignum seu inhabilem presentari: Quodsi tamen lis esset inter Patronum & Episcopum vel alium superiorem ad quem pertinet jus instituendi, super ipsa presentatione, an nimirum presentatus sit dignus an non? tunc lite pendente, etiam si ea duret ultra 4. menses, non poterit Episcopus Ecclesiæ de rectore providere, sed interim œconomum constituere debet.

Resp. 3. Si Ecclesia vel beneficio vacante jus presentandi pertineat ad personam ecclesiasticam, & Ecclesiæ

clesiæ ob justam causam statim de rectore idoneo providere nequeat, tunc non episcopus sed patronus ecclesiasticus ibi œconomum seu administratorem reddituum constitutere potest. ut colligitur ex *cit. cap. à sensu contrario, ibi: in quibus Ecclesiastica persona presentationem non habet.* Quia Patronus ecclesiasticus habet administrationem & custodiam bonorum ecclesiasticorum, non item patronus laicus, qui defensionem tantum habet, nisi ex privilegio Papæ vel legitima consuetudine jus custodiæ seu administrationis ei competat. Quod hactenus verum est de jure antiquo; De jure autem novissimo concilii Trid. *sess. 25. cap. 9. de reform.* sive Ecclesia sit liberæ collationis, sive juris patronatus, ecclesiastici aut laicalis, non possunt se patroni ingerere in perceptione reddituum Ecclesiæ vel beneficii, sed episcopus debet post habitam notitiam vacationis œconomum seu vicarium in ea constituere, qui illius curam seu administrationem habeat; ut patet etiam ex *cap. 18. sess. 24. ejusdem Concilii.*

22. Quæres 6. *Quam potestatem inferendi censuras habeat Episcopus?*

Lex jurisdictionalis episcopi consistit etiam in potestate inferendi censuras ecclesiasticas. *d. cap. conquere. 16. de offic. judic. ordin.* quod est ordinarium remedium coercendi contumaces & inobedientes, atque jura episcopalia violare attemptantes, *cap. 1. de offic. jud. deleg. &*

ex *dd. supra, sub nomine censuræ venit excommunicatio, suspensio interdictum.* Hinc:

Resp. Episcopi & similes Prælati quasi episcopalem jurisdictionem habentes, possunt censuras prædictas & pœnas canonicas alias privationis aut depositionis in perpetuum clericis criminosis infligere, ac debent pro criminis qualitate, secundum dispositionem juris canonici, & consuetudinem præsentis temporis, veluti ob adulterium & alia crimina sive minora sive æqualia vel majora, ut perjurium inceptum, stuprum violentum, magiam, ob quæ clerici beneficiis privari, imò etiam deponi ab officio & ordine clericali merentur. ut ex communi tradit Abbas *in cap. 4. in princ. n. 33. & seqq. de judic. Layman. de jurisdic. ordin. conclus. 69.*

Quæres 7. *Quam potestatem absolvendi à censuris habeat Episcopus?*

Ad legem jurisdictionalem Episcopi rursus pertinet absolutio à censuris & pœnis. Layman. *in cit. cap. conquere. 16. num. 2. d. 1.* Hinc

Resp. Episcopi possunt etiam²³ a censuris ecclesiasticis aliisque pœnis canonicis quandoque absolvere, vel easdem relaxare ex rationabili causa, saltem in casibus jure expressis. *cap. 4. §. de adulteriis. de judic. & ibidem Abbas n. 4.* quare, licet, si lex canonica statuatur, vel etiam consuetudo ecclesiæ imponat certam pœnam clerico, v. g. ob adul-

adulterium esse beneficio privandum, vel etiam ab ordine clericali perpetuo deponendum, talis pœna ordinarie fit ab episcopo imponenda, ita ut pro mero arbitrio suo, eam remittere non possit, ut docet S. Thomas c. 2. q. 67. n. 4. ubi ait: Judex inferior non habet potestatem eum absolvendi a pœna, contra leges a superiore sibi impositas. Menoch. de arbit. judic. quest. 96. n. 10. & sumitur ex l. 8. C. ad legem Jul. de vi publ. l. 1. §. quorum. ff. ad S. C. Turpill. ubi dicitur: quod pœnæ persecutio non iudicis voluntati mandatur, sed legis auctoritati reservatur. Farinac. in Praxi Criminal. p. 1. l. 1. tit. 3. quest. 19. n. 5. Nihilominus tamen ex justa causa concessum est, etiam iudici non supremo sed subordinato, rigorem juris temperare, pœnamque minuere. Glossa in cit. l. 1. V. facti. Farinacius loc. cit. n. 7. unde episcopus non tantum in adulterio & aliis criminibus minoribus cit. cap. 4. de judic. (ob quæ si absolute gravia & scandalosa sint, suspensio inferenda est ad certum tempus, vel donec se clericus emendaverit) Layman. ibid. n. 6. sed etiam in majoribus vel æqualibus adulterio criminibus, super pœnis canonicis non latis sed ferendis dispensare potest ex causa justa, easque minuere & commutare, nisi canon id prohibeat. Innocent. in cap. 15. n. 2. de tempor. ordin. Layman. de jurisdiction. ordin. conclus. 69. Nam in criminalibus licet semper dispensare

nisi prohibeatur. Argum. l. 28. juncta Glossa V. prohibeant. ff. ex quibus caus. majores &c. ubi ait: Omnia sunt permissa per legem, quæ non reperiuntur prohibita. Et ratio est, quia facultas dispensandi in criminibus, cum sit gratia principis, in tertii præjudicium non cedens, benigne & late interpretari debet. Abbas in cit. cap. 4. §. de adulteriis n. 15. Estque adulterium in cit. §. exempli causa positum. Layman, ibid. num. 7.

Resp. 1. Non tantum dispensare potest episcopus ex causa justa cum adultero v. g. vel incestuoso ut non privetur beneficio, vel non deponatur, sed etiam postquam ob adulterium vel furtum damnatus est, vel per sententiam latam depositus, adeoque infamiam contraxit, potest eum episcopus dispensative restituere post actam pœnitentiam & vitæ emendationem. Abbas in cit. cap. 4. §. de adulteriis, n. 14. Felinus ibid. n. 12. Layman. de jurisdiction. ordin. conclus. 70. Et ratio est, quia data potestate episcopo dispensandi in pœna, censetur etiam ei data super accessorio, scilicet restituendi famæ depositum. Ex Concil. Trid. Sess. 25. can. 24. de Reform. Sed insuper probabile est, licet canon præcipiat ut ob crimen pœna suspensionis inferatur ad certum & determinatum tempus, v. g. triennium, posse episcopum ex gravi causa eam remittere & dispensare. Layman. de jurisdiction. ordin. conclus. 71. Pirrhing. Sect.

Secl. 3. §. 5. n. 70. circa fin. alique ab eo relati. Quia licet clericus ob adulterium vel furtum damnatus & depositus infamiam incurrerit, tamen restitutus contra sententiam indirecte & consecutive etiam famæ restituitur, ut officio clericali fungi, & beneficium ecclesiasticum, consequi possit. Abbas *l. c. num. 15.* Layman, *cit. loc. conclus. 70.*

24 *Resp. 3.* In Pœnis latæ sententiæ seu ipso jure inflictis, episcopus dispensare aut easdem relaxare nequit. Felin. *in c. 4. §. de adulteriis. n. 4.* Layman. *loc. c. conclus. 71.* Pirrhing. *loc. cit. n. 71.* Ratio est: quia sicut inferior non potest tollere legem superioris, ita nec pœnam ei annexam, nisi ipsi sit commissum; ut si irregularitates vel suspensiones ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, proveniant, in his enim episcopus dispensare potest ex commissione concilii Tridentini *Seff. 24. cap. 6. de reform.* Verum in pœnis legalibus seu canonicis, quæ sunt sententiæ ferendæ, quando scilicet judici a lege præcipitur, ut ob tale crimen pœnam inferat, v. g. depositionis, episcopus potest ex rationabili causa dispensare, seu spectatis circumstantiis eas minuere, ut colligitur per sensum contrarium ex supra *dd.* quia episcopus non potest dispensare in pœnis ipso jure latis, sive a canone impositis, quæ trahunt secum executionem & ipso facto

incurruntur. Layman. *in cit. cap. 4. §. de adulteriis. n. 8.*

Corollarium 1. Licet episcopus 25 in pœnis canonicis ipso jure latis, sive quæ sunt pœnæ latæ sententiæ, & puræ pœnæ propter delictum commissum ipso jure inflictæ, potest tamen episcopus a censuris Papatibus proprie dictis, v. g. excommunicatione aut suspensione, quæ propter contumaciam ipso jure incurruntur, absolvere in utroque foro, quia illæ non sunt reservatæ. *argum. cap. 29. & 32. de sent. excomm. Glossa recepta in Clement. 1. §. Verum quia V. excommunicationis de hæretic. Layman. de jurisdic. ordin. conclus. 71.*

Corollarium 2. Quoad episco- 16 pos Germaniæ advertendum est, quod respectu eorum casus, qui alias sunt papales, sive Pape reservati, ob nimiam frequentiam & impedimentum adeundi Papam, vel propter longam loci distantiam, vel alias causas, fiant episcopales, ut tradunt communiter DD.

Resp. 4. Episcopus potest relaxare censuras ab inferiore Prælate sibi subjecto latis, & ab eodem excommunicatos, suspensos vel interdictos absolvere, dummodo non tantum in excommunicatorem, sed etiam in ipsos censura ligatos plenam jurisdictionem habeat, sicut ipse excommunicator. Covarruv. *in cap. alma p. 1. §. 12. n. 2.* Suarez *de Cens. Disp. 7. Secl. 2. n. 12.*

Corollarium 3. Ex his fluit quod 27 episcopus non possit absolvere ex-
com-

communicatos a Prælati ordinum non exemptorum, nisi ad ipsum sit appellatum, ita ut absolutio seu relaxatio censuræ etiam irrita sit, quia episcopus non habet plenam jurisdictionem in regulares etiam non exemptos, cum correctio primo loco spectet ad Prælatus ordinis, ita ut episcopus se immiscere non debeat, nisi in defectum Prælati negligentis, vel si crimina gravia sint, præsertim quæ depositionem merentur.

28 Quæres 8. Si iudex à Papa delegatus reum citatum, propter contumaciam in comparendo excommunicavit, atque actorem in possessionem rei servandæ causæ misit, seu induxit, an inquam mortuo delegato Episcopus possit excommunicatum absolvere, nisi satisfacere nolentem?

Resp. Episcopum non posse sine speciali mandato sedis Apostolicæ taliter excommunicatum absolvere. Ratio est, quia delegatus est major episcopo, quantum ad causam delegatam. Poterit igitur absolvere solus Papa, præterquam in mortis articulo, vel nisi delegatus successorem habeat in munere & honore delegationis, tunc enim ejus successor absolvere poterit; neque etiam reus per alium quam summum Pontificem (vel ejus delegatum specialiter ad id deputatum) amissam possessionem recuperare poterit, verum ne actor ob contumaciam rei missus in possessionem custodiæ causæ post annum elapsam verus possessor efficiatur,

poterit reus coram ordinario loci, vel si ejus copiam habere nequeat, coram publicis & honestis personis cautionem offerre, ac præstare, quod juri pariturus sit, sic enim veluti interruptitur præscriptio annualis, ut etiam post annum possessionem per sedem Apostolicam recuperare mereatur. *c. pastoralis ut. §. præterea. de offic. judic. ordin.*

Quæres 9. An episcopus possit alicui committere potestatem absolvendi a Censuris?

Resp. 1. Affirmative scilicet episcopus non tantum in particulari sed etiam generaliter ejusmodi potestatem absolvendi aliis committere potest; Ratio: quia ea, quæ jure ordinario sive ratione potestatis ordinariæ, alicui competunt, absolute & generaliter delegari possunt; Pirrhing *Secl. 3. §. 5. n. 80. notab. 2. de offic. jud. ord.* Imo non tantum nudum ministerium absolutionis, sed etiam cum causæ cognitione alteri committi potest; Pirrhing. *l. c.* alique ab eo relati: nisi ex commissione seu privilegii concessione appareat, specialiter industriam & discretionem personæ ad absolvendum esse electam, ut in casu *c. 2. c. 32. de sentent. excommunic.*

Quæres 10. An episcopi possint dispensare in universalibus constitutionibus sacrorum canonum & decretis conciliorum generalium?

Ad legem jurisdictionalem episcopi rursus pertinet dispensatio.

Resp. Episcopus in lege Pontificia aut concilii dispensare nequit, nisi

nisi in casibus ipsis à jure concessis. Rebuff. in prax. tit. de dispens. ad plura benefic. n. 26. & 27. Suarez. l. 6. de LL. c. 4. n. 4. Pirrhing. d. l. sect. 3. §. 6. n. 85.

Prob. ex c. cum dilectus. 15. de tempor. ordin. ubi reprobatum collatio sacrorum ordinum una die ab episcopo eidem facta, nisi ex mandato sive dispensatione Archiepiscopi, eo quod hujusmodi dispensatio ipsi à canone non sit permessa, & per consequens ei censeatur esse prohibita, alioquin ratio textus nihil probaret.

Prob. 2. ex c. penult. & ultim. de filiis presbyter. ubi irrita declarantur dispensationes factae contra juris dispositionem ab inferiore Papa. Accedit ratio, quia iudex inferior non potest tollere legem superioris quidquam ei detrahendo, vel dispensando quomodolibet, prout habetur in clement. 2. in princ. de elect. can. 4. dist. 21. c. 16. de major. & obed.

Confirmantur. Quia dispensatio est actus jurisdictionis, atqui inferior non habet jurisdictionem circa legem superioris, v. g. episcopus circa legem summi Pontificis, nec circa personas non subiectas. Ergo nec habet potestatem dispensandi in lege superioris, nisi ei concedatur, Suarez. loc. cit.

Multominus possunt episcopi dispensare in decretis concilii generalis. Abbas in c. 4. §. de adulter. n. 5. de judic. n. 5. Rebuff. loc. cit. num. 28. & alii canonistae communiter. Ratio desumitur per Extravag. sancta §. quidem, de relig. dom. tum

etiam in cap. ult. de filiis presbyter. ubi declarantur irritae promotiones factae de illegitimis ad dignitates & beneficia curata sine dispensatione Papae, quia sunt contra canonem concilii Pictavi. in c. 1. eod. imo ipse etiam Papa difficilius dispensat in decretis concilii generalis, quam in aliis decretis simplicibus ob majorem auctoritatem conciliorum. Fagnanus in cap. ult. num. 18. de filiis presbyter.

Objicies 1. Quando Pontifex in lege seu canone aliquo expresse non prohibet vel sibi reservat dispensationem, tunc censeatur illam episcopis concessisse, nam juxta commune axioma multorum canonistarum, episcopus ex jure divino potest in sua diocesi, quidquid Papa potest in universa Ecclesia, iis tantum exceptis, quae summus Pontifex sibi expresse reservavit Ergo.

Resp. N. antec. falsum equidem est, quod episcopi habeant absolutam & universalem jurisdictionem in suis diocesisibus ex jure divino, cum illam habeant immediate à summo Pontifice, qui illam variis modis restringere & limitare potest, neque episcopi majorem jurisdictionis partem habent, quam illis à summo Pontifice sit concessa. Sic etiam multa sunt, quae potest Papa in universali ecclesia, non tamen possunt episcopi, ut dispensare in matrimonio, in voto solenni paupertatis, continentiae, &c. quae episcopi jure ordinario & communi non possunt, etiamsi à Papa non

non sint expresse reservata. Suarez. *loc. cit. c. 14. n. 6.* Fagnanus in *cap. 1. n. 54. & seqq. de offic. judic. ordin.* idque etiam satis clare constat ex *cit. cap. dilectus. 4. de tempor. ordin.* ubi episcopus dispensare non potest, eo quod potestas illa dispensandi non reperiatur in canone concessa, non autem ex eo, quasi semper requireretur, ut potestas dispensandi ex vi reservationis sit sublata, quoties episcopus dispensare non possit.

Objicies 2. Quando legislator sibi specialiter non reservavit absolutionem canonis, tunc eo ipso videtur concessisse aliis facultatem absolvendi. *c. 29. de sentent. excomm.* Ergo similiter eo ipso, quod non reservet sibi dispensationem censeri debet illam aliis concedere.

Resp. N. Conseq. quia *cit. cap. 29.* loquitur de absolutione ab excommunicatione, quæ facilius conceditur quam dispensatio, quia fit secundum jus, quod non vult ut aliquis in excommunicatione decedat. *c. 25. de Appell. cap. 32. de sentent. excommun.* Cum ergo sit favorabilis, & ordinetur ad bonum animæ, ideo censetur permessa, si non sit reservata seu prohibita; At verò dispensatio est contra jus sive legem superioris, eique derogat, adeoque merito intelligitur prohibita, si non reperiatur concessa.

32. Quæres II. In quibus casibus Episcopus dispensare possit in lege Pontificia, vel Canone Concilii generalis?

Resp. I. Episcopo concessa est

potestas dispensandi in lege canonica vel etiam in decreto concilii generalis, etiam si expresse ei non concedatur, dummodo in lege seu canone simpliciter dicatur, posse dispensari, adeoque positive permittatur dispensatio, etsi Papa illam sibi non reservet, nec determinet personam, cui committatur dispensatio; tunc enim episcopus dispensare potest, quamvis expresse ei non fuerit concessum. Est communis canonistarum teste Pirrhing. *sect. 3. §. 6. n. 87. de offic. jud. ord.* Ratio est, tum quia alias verba illa, quibus simpliciter conceditur dispensatio, superflua forent, & nihil operarentur, cum per se constet, Papam posse in tali lege dispensare, cujus auctoritas semper intelligitur excepta; tum quia potestas dispensandi respectu illam concedentis, non est stricti juris sed favorabilis, & ample interpretanda, cum saepe sit necessaria & debita; tum denique quia ubi jus exprimit posse dispensari, jus servatur, si dispensetur, ergo dum ipse episcopus, qui est canonum custos & executor, potest dispensare, quia sic servat jus, & secundum illud operatur. Fagnanus in *cap. dilectus. num. 17. de tempor. ordinat.*

Resp. 2. Idem dicendum est, si in canone seu decreto Concilii generalis absolute & simpliciter permittatur dispensatio, poterit enim tunc etiam dispensare episcopus, ob rationem supra allatam, quia ipsa constitutio concilii videtur id
Qq 2
clare

clare concedere, dum in ea dispensari posse permittit, sic enim episcopus dispensando nihil facit contra concilium, sed potius illud exequitur, cum concedat dispensationem. Aliud esset dicendum, si concilium non concederet dispensationem, sed generaliter disponeret nulla facta mentione de dispensatione. Sanchez. *lib. 8. de matrim. disp. 5. n. 4.*

Resp. 3. Episcopus potest dispensare in lege Pontificia vel etiam canone concilii generalis ex causa magnæ five urgentis necessitatis, vel evidentis utilitatis de novo emergentis, vel prius verisimiliter incognitæ, quando periculum est in mora, nec sine notabili incommodo peti potest dispensatio à summo Pontifice, tunc enim ex rationabiliter præsumpta, seu interpretativa voluntate Papæ censetur Episcopus habere potestatem dispensandi. Rebuff. *loc. cit. num. 30. & 31.* Suarez. *loc. cit. n. 10.* Pirrhing. *loc. cit.* & alii DD. communiter. Similiter in casibus frequenter occurrentibus, ut in votis Papæ specialiter non reservatis, in juramentis, & similibus, dispensare potest episcopus, quia non est verisimile, Papam velle, ut in necessitatibus quotidianis, five frequenter occurrentibus ad illum recurratur, cum in his sæpe sedes Apostolica consuli non possit, & in his casibus potestas dispensandi ad ordinarium regimen sit necessaria. Sanchez. *loc. cit. n. 9.* Nayarrus *in Manuali cap. 21.*

n. 21. Quare in his locum habet regula, Episcopum dispensare posse in omnibus sibi non prohibitis, vel Papæ specialiter reservatis, idque maxime procedit, si talis dispensatio ordinetur ad bonum animæ, ne conscientia scrupulis illaqueetur, & ad tollendum periculum peccandi.

Resp. 4. Episcopus potest dispensare contra canonem vel decretum concilii generalis, vi consuetudinis legitime introductæ, quæ dare potest jurisdictionem, & dispensationem alias invalidam reddere validam. Suarez. *loc. cit. n. 10.*

Resp. 5. Episcopus potest leges five constitutiones speciales facere in sua Ecclesia & Diocesi, quæ tamen sacris canonibus non adversantur. *c. 8. disp. 11. cap. 2. de major. & obed. cap. 2. de constitut. in 6.* adeoque etiam poterit in istis dispensare, etiam si sine justa causa. Ita tenent Sanchez. *loc. cit. disp. 17. num. 27.* Barbosa *lib. 1. Juris eccles. cap. 11. n. 113.* Ratio est, quia lex omnem vim suam habet à voluntate legislatoris.

Resp. 6. Episcopus potest dispensare in certis irregularitatibus, ut scilicet possit quis ordines suscipere, vel in susceptis ministrare. Barbosa *loc. cit. n. 134.* item in inhabilitate ad dignitates & beneficia ac officia ecclesiastica consequenda. Barbosa *loc. cit. n. 175.*

Resp. 7. Episcopus potest etiam dispensare in juramentis & votis, quam

quamvis in his non fit proprie dicta dispensatio, sed potius absolutio, vel commutatio, aut declaratio juramentum aut votum hic & nunc non obligare. Barbofa *loc. cit.* n. 134.

33 Quæres 12. *Quenam sit potestas Episcopi quoad collationem sacrorum?*

Ad legem jurisdictionalem Episcopi spectat quoque sacrorum omnium collatio, quæ ab Episcopo sunt recipienda. *c. 16. de offic. judic. ordin.*

Resp. Episcopo competit collatio sacramentorum præsertim ordinis & confirmationis, altarium, ecclesiarum, & virginum consecratio, quæ jure communi propria sunt ordinis episcopalis. Concurrit autem episcopus cum omnibus parochis aliisque curatis ecclesiarum non exemptarum cumulative, ita ut etiam ipse vel Vicarius ejus Diœcesanis Sacramenta ministrare possit, cum sit etiam ordinarius & principalis pastor, totius diœceseos. *c. 2. & ult. de offic. Archipresbyt. Layman. de jurisd. ordin. conclus. 65.* Et Glossa in *clement. 1. V. presbyteri de privileg.* ait: Diœcesis est parochia episcopi.

34 Quæres 13. *An episcopus possit concedere indulgentias?*

Ad legem jurisdictionalem episcopi spectat indulgentiarum concessio, nam episcopus electus & confirmatus, etsi non sit consecratus, aut sacerdos, indulgentias concedere potest suis subditis, est enim actus voluntariæ jurisdictio-

nis non ordinis. Barbofa *de offic. episc. alleg. 88. n. 7. & 8.* Quæritur tantum quando & quas indulgentias possit impertiri? hinc

Resp. Episcopus potest in dedicationibus: unius anni, in anniversario vero dedicationis & alias 40. dierum indulgentias concedere. *cap. 14. §. ad hac de panit. & remiss.* non autem plenarias nisi ex delegatione summi Pontificis. Barbofa *loc. cit. n. 5. & 9.* possunt tamen etiam exempti lucrari indulgentias episcopales, quia in favorabilibus eodem jure gaudent, quo non exempti, ne quod in eorum favorem inductum est, in eorundem præjudicium cedat. *L. 6. C. de ll. cap. 62. de R. J. in 6.* Barbofa *loc. cit. n. 27.*

Quæres 14. *An episcopo competat jus visitandi Diœcesin?*

Resp. Ad legem jurisdictionalem & judicium episcopi etiam spectare vel maxime visitationem diœceseos. *c. conquerente. de offic. judic. ordin.* tenebatur autem olim episcopus singulis annis facere visitationem *d. c. conquerente.* & quidem vel per se ipsum, vel si legitime impeditus fuerit, per suum Vicarium generalem vel per alios idoneos presbyteros aut diaconos ad visitandum deputatos. *can. 11. caus. 10. q. 1.* ita quidem ut singulis annis semel totam diœcesin, vel saltem ejus partem majorem debuerit perlustrare; si autem id propter ejus latitudinem fieri non possit, saltem biennio totam visitationem absol-

Qq 3

vat,

vat. *Concil. Trident. Sess. 24. cap. 3. de reformat.* potest autem episcopus etiam sapius, quam semel, & quoties necessitas postulaverit, quot annis visitare; Pirrhing. *d. l. Sect. 3. §. 8. n. 95.* hujus autem visitationis principuus scopus ac finis est sanam orthodoxamque doctrinam expulsiis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere &c. *Trid. l. c.* quare ab episcopo vel ejus visitatore inquirendum est, an missarum solennia & sacramenta rite celebrentur & administrantur, an ecclesie reparatione indigeant, ipsæque & earum redditus conserventur, & qualis sit vita, moresque ministrorum ecclesiasticorum? *can. 10. & seqq. caus. 10. quest. 1.* Tholosanus *in cit. cap. conquereute 17. n. 5. & ult.*

Quæres 15. *Quinam debeant ab episcopo visitari?*

Resp. Visitari debere omnes ecclesias, etiam cathedrales, monasteria, beneficia curata, & non curata, secularia & regularia. *Concil. Trid. Sess. 6. cap. 4. & Sess. 7. c. 8. & Sess. 21. cap. 8. de reformat.* item hospitalia, collegia, confraternitates laicorum & scholæ, & omnia pia loca, etiam exempta; *Concil. Trident. Sess. 22. cap. 8. de reformat.* Sed insuper etiam ecclesie perpetuo unitæ monasteriis etiam exemptis, si populus earum subiectus sit in spiritualibus episcopo, ab eodem visitari possunt. *Trid. Sess. 7. c. 7. de reformat. & Sess. 25. cap. 11. de regul. juncta declaratione cardinalium ibid. in fin.* quia tales uniones fieri solent salvo jure epi-

scopali. *Layman. Lib. 1. Theol. moral. tract. 4. cap. 7. §. 8. n. 30.* Ecclesie autem quæ propriæ ad regulares exemptos spectant, sicut & ipsi religiosi hujusmodi, ab eorum Prælatiis videlicet generalibus, vel eorum delegatis visitari solent & debent. *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 1. & c. 8. de regular.* cum enim hi prælati ejusmodi locorum & ecclesiarum ordinarii sint, & quasi episcopalem jurisdictionem habeant in suos subditos, ideo ab episcopo visitari non possunt; nam visitare est actus jurisdictionis, competens superiori, cui ecclesia vel monasterium est subiectum. *cap. 1. §. fin. de Censib. in 6.* Episcopus autem non habet jurisdictionem ordinariam in exemptos, neque in loca & ecclesias illorum, quæ personis sunt connexæ; nam accessorium sequitur suum principale. *Layman. loc. cit. Si*

Dicas quod ecclesia regularis fita sit in diœcesi episcopi, ergo subiaceat episcopo.

Resp. N. Conseq. Nam locus exemptus quoad jurisdictionem exercendam ab episcopo, æquiparatur loco existenti extra Diœcesin. Si

Dicas 2. Concilium Trident. *cit. Sess. 7. cap. 8.* generatim præcipit, ut locorum ordinarii ecclesias quascunque, quomodolibet exemptas, singulis annis visitent; ergo episcopus potest visitare ecclesias regularium exemptas.

Resp. N. Conseq. Quia per hujusmodi ecclesiarum ordinarios non

non intelliguntur episcopi, sed Prælati ordinum exemptorum, quamvis dici possit, concilium ibi loqui de ecclesiis secularibus exemptis, quæ privilegium prætendunt quod visitari non debeant; hæ enim visitari debent ab episcopis, tanquam delegatis sedis Apostolicæ, non obstante tali privilegio, quod per Concil. Trid. est revocatum; regulares vero exempti privilegium habent, ut non visitentur, ab episcopis, quod non est revocatum per Concil. Trident. ut patet ex cap. 8. sess. 25. de regular.

37 Porro ad visitationem monasteriorum regularium adhiberi debent pauci viri idonei, iique ecclesiastici non laici; est etiam conveniens, ut non solum seculares clerici adhibeantur, sed iis unus aut plures religiosi adjungantur, quia hi magis idonei censentur, cum majorem regularis disciplinæ cognitionem & experientiam habeant, quam seculares clerici. *arg. cap. 7. de statu monach. Pirhing. loc. cit. n. 98. notab. 3.* quod etiam colligitur per *extravag. debent. de offic. jud. ordin. inter commun.* in qua Bonifacius VIII. statuit, quod quando episcopus visitat Capitulum ecclesiæ cathedralis, quæ regularis est, debeat duas vel tres honestas personas, in clericali ordine constitutas, quarum una saltem sit ejusdem religionis, & unum notarium etiam clericum, secum adducere & adhibere,

Quæres 16. *Quibus casibus episcopus loci jurisdictionem habeat in regulares exemptos?*

Nota: etsi olim spectato jure³³ communi omnes religiosi, sicut clerici seculares, episcopis subjecti erant, in quorum diæcesibus monasteria sita erant. *can. 11. caus. 16. q. 1.* & ex communi docet Barbosa *de offic. episc. alleg. 105. n. 1.* postea tamen ex summorum Pontificum privilegiis, multi religiosi ordines sunt exempti ab episcoporum jurisdictione, excepto legato à latere; quare religiosi exempti in omnibus causis subsunt jurisdictioni suorum prælatorum regularium, qui in eos jurisdictionem quasi episcopalem obtinent, & omnia exercere possunt in eosdem, quæ Episcopi in suos subditos. Sunt tamen plures casus excepti, quibus episcopi seu ordinarii locorum tanquam sedis Apostolicæ delegati in religiosos alioquin exemptos etiamnum jurisdictionem obtinent, illique eorundem potestati subjiciuntur. Hinc

Resp. 1. Regulares extra monasterium sive conventualem domum aut residentiam degentes, ab ordinario loci tanquam Apostolicæ sedis delegato, visitari, corrigi & puniri possunt, juxta Concil. Trident. *Sess. 6. c. 3. de reformat.* quod si regularis exemptus intra claustra monasterii degens, extra ea notorie deliquerit, ut populo scandalo sit, potest episcopus prælato ordinis tempus præfigere, intra quod reus ille severe puniatur, & de punitione

tione episcopus certior fiat, si vero id negligat prælatus, à superiore suo officio privetur, & regularis, qui deliquit, ab episcopo puniatur. Trident. *Sess. 25. cap. 14. de regular.*

Resp. 2. In causis civilibus mercedum, & personarum miserabilium, regulares etiam exempti, si extra monasterium seu conventum regularem degant, coram locorum ordinariis tanquam sedis Apostolicæ delegatis conveniri, & ad debitum solvendum compelli possunt, quamvis certum judicem à sede Apostolica deputatum in partibus habeant, & in aliis quoque, si ipsum judicem non habuerint. Trident. *Sess. 7. c. 14. de reformat. n. 23.*

Resp. 3. Regulares præter licentiam superiorum suorum, absque examinatione & approbatione ordinarii libros imprimere, vel imprimi facere non possunt. Trident. *Sess. 4. in decreto de Edu. & usu sacrarum librorum.* quod demum ita intellige, si religiosus sive exemptus, sive non exemptus in diœcesi existat, extra territorium enim jus dicenti impunè non paretur.

Resp. 4. Episcopus compellere potest regulares suæ diœceseos, ut lectionem sacræ scripturæ in suis monasteriis, & in conventibus aliorum regularium, si commode fieri potest, habeant. Trident. *Sess. 5. cap. 1. §. in Monasteriis, de reformat.*

Resp. 5. Regulares non solum censuras & interdicta à sede Apostolica emanantia, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo in ecclesiis publicare, & servare debent. Trident. *Sess. 25. cap. 12. de regular.*

Resp. 6. Dies Festos, quos episcopus in diœcesi servandos præcipit, regulares etiam exempti servare coguntur. Trident. *loc. cit.*

Resp. 7. Regulares etiam exempti ad publicas processiones vocati, accedere debent, iis tantum exceptis, qui in strictiore clausura perpetuo vivunt; controversias quoque, quæ in processibus aut defunctorum corporibus sepeliendis oriuntur subinde, episcopi remota appellatione componere debent. Trident. *cit. Sess. 25. cap. 13. de regular.*

Resp. 8. In causa hæresis aut similibus criminibus ad tribunal sacræ inquisitionis pertinentibus, regulares etiam exempti subsunt jurisdictioni ordinariorum, si in iis locis inquisitores non sint. *cap. 9. §. fin. de hæret. Barbosa loc. cit. n. 36.*

Resp. 9. Ordinarii locorum etiam exemptos regulares, si ecclesias curatas, quantumvis exemptas obtineant, compellere possunt, etiam per censuras, si ita necessarium videatur, ut diebus saltem dominicis & festis solennibus plebem sibi commissam salutari verba pascant, Trid. *Sess. 5. cap. 2. de reformat.* & quod si prædicator errores

res aut scandala seminet in populum, episcopus ei prædicationem interdicere debet, sin autem hæres prædicet, episcopus contra eum procedat, & quidem si exemptus sit, tanquam sedis Apostolicæ delegatus; *Trid. cit. cap. 2. in fin. & quodsi regularis quantumvis exemptus aut privilegiatus, qui alterius Parochiæ sponfos sine proprii illorum Parochi scientia, matrimonio conjungere aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus manet, donec ab ordinario ejus parochi, qui matrimonio interesse debebat, absolvatur, Trid. Sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.*

39 Resp. 10. Episcopi tanquam sedis Apostolicæ delegati, etiam per censuras ecclesiasticas aliasque pœnas compellere possunt moniales in monasteriis exemptis, ad clausuram servandam, quacunque appellatione postposita, invocato etiam, si opus fuerit, ad hoc auxilio sæcularis brachii. *Trident. sess. 25. cap. 5. de regul. ubi etiam statutum est, quod nemini monialium liceat post professionem exire e monasterio, etiam ad breve tempus, nisi ex causa legitima ab Ordinario approbanda. Imo monasteria monialium sedi Apostolicæ immediate subiecta subjiciuntur episcopo, tanquam ejusdem sedis delegato, ut ab eo gubernentur, scilicet in spiritualibus, Trident. Sess. 25. cap. 9. de regular. juxta declarationem cardinalium ibidem. Hic tamen advertendum velim, quoad clausuram*

esse attendendam legitimam & diuturnam consuetudinem Monasteriorum, adeo ut moniales quæ tempore suæ professionis non invenerunt clausuram, ad eam amplectendam compelli non possint, ad nihil enim cogi possunt, nisi ad quod se votis obstrinxerunt, quia actus non obligant ultra intentionem agentium & voventium; nisi tamen delicta earum aliud suaderent.

Resp. 11. Nullus regularis etiam⁴⁰ exemptus potest confessiones audire, nisi approbatus ab episcopo per examen, vel alias idoneus judicatus, approbationem obtineat. *Trident. Sess. 24. cap. 15. de reformat.*

Resp. 12. Regulares exempti subjiciuntur episcopo in iis omnibus, quæ sunt ordinis episcopalis, ut in petitione chrismatis, consecrationis ecclesiarum, susceptionis ordinum &c. *Barbosa loc. cit. n. 65. & hinc regulares quamvis exempti nequeunt ordines suscipere, quam ab episcopo illius loci, in quo a superiore regulari sunt constituti, nisi speciale privilegium à sede Apostolica habeant, ut à quocunque episcopo catholico ordinari possint, Barbosa loc. cit. n. 7.*

Resp. 13. Si regulares sine ordinarij licentia promulgent indulgentias, quoad hoc subjiciuntur episcopo. *Barbosa loc. cit. n. 69. potest etiam episcopus regulares exemptos, si notorie excommunicati sunt à jure vel homine, denunciare, ut vitentur. Barbosa loc. cit. num. 17.*

Rr

aut

aut si ex defectu justitiæ officium suum negligent, potest ordinarius loci adiri, ut suppleat, si ad Papam vel superiorem exemptorum facile recurri nequeat; Barbofa *loc. cit.* n. 62.

Resp. 14. Potest Episcopus regulares exemptos, si fugæ periculum sit, capere & remittere ad judicem competentem. Pirrhing. *sect. 3. §. 10. n. 115.*

41 Resp. 15. In confessarios regulares & administratores bonorum monasteriorum monialium, episcopis concessa est potestas à Gregorio XI. in Bulla, quæ incipit, *in-scrutabili.* anno 1627. edita, ut Episcopus una cum Prælatis seu superioribus regularibus electioni Abbatissæ seu præpositæ, per se vel per alium præsidere possit. Plures casus, quibus regulares exempti subduntur jurisdictioni & potestati Episcopi, enumerant Barbofa, *loc. cit.* & Fagnanus in *cap. penult. num. 37. & seqq. de offic. jud. ordin.*

42 Quæres 17. Ubi, sive quo in loco Episcopus possit exercere suam jurisdictionem?

Resp. Potest Episcopus in quovis loco suæ diœcesis ordinariam jurisdictionem ecclesiasticam non tantum voluntariam, sed etiam contentiosam exercere, ut ex communi docet Barbofa *de offic. Episcop. alleg. 80. n. 2. & 3.* & probatur ex *cap. 7. de offic. judic. ordin. in 6.* ubi Papa Bonifacius VIII. ita rescribit: Cum Episcopus in tota sua diœcesi

jurisdictionem ordinariam habeat, dubium non est, quin in quolibet loco ipsius diœcesis non exempto per se vel per alium possit pro tribunali sedere, causas ad forum ecclesiasticum spectantes audire & cognoscere, personas ecclesiasticas, cum earum excessus seu delicta id exegerint, capere & incarcerare, atque reliqua, quæ ad ipsius officium spectant, liberè (id est, absque alicujus contradictione) exercere.

Corollarium. Episcopus ex communi jure habet fundatam intentionem erga loca & personas intra diœcesin existentes, ita, ut si exemptio aliqua prætendatur, ea probari debeat, prout colligitur ex *cap. 7. de privilegiis. in 6.*

Quæres 18. An Episcopus exercere possit jurisdictionem in loco exempto intra Diœcesin sito?

Resp. In loco exempto à jurisdictione Episcopi, non potest is exercere jurisdictionem saltem contentiosam, sive pro tribunali sedere aut judicia exercere. Prout colligitur ex *can. 6. caus. 18. quæst. 2.* Ratio est, quia Episcopus vel alius iudex non potest tribunal extra suam diœcesin aut territorium ei non subjectum erigere. *can. 7. caus. 9. quæst. 2.* Locus autem intra diœcesin exemptus æquiparatur loco extra diœcesin, seu territorium sito, quod attinet ad excludendam jurisdictionem Episcopi, non autem alia. Prout tradit Glossa in *clement. frequens, nn. V. primi. de excess. Pralat.*

Prelat. Cochier, de Jurisdic. ordin. in exempt. part. 2. quæst. 1. n. 6.

Excipi debet nisi Episcopus sit expulsus à sua diœcesi, ita ut nec per vicarium jurisdictionem ibi exercere possit; tunc enim in aliena ibi vicina diœcesi, jus dicere potest suis subditis, petita licet non obtenta licentia ab ordinario loci, dummodo ultra duas diœtas extra propriam diœcesin, sive à fine diœcesis computandas, non evocentur. *clement. un. de foro compet. Cochier loc. cit. n. 11.*

Hic Quæri potest: *Quam jurisdictionem Episcopi habeant in Protestantibus, qui in Diœcesi existunt, cum & hi quasi jure exemptorum gaudeant?*

44 Resp. 1. Ecclesiastica jurisdictio contra Status Augustanæ (hodie etiam Reformatæ) Religioni addictos, quoad eorum religionem, ritus, ministeria, & leges institutas instituendasve, usque ad plenam religionis conciliationem suspensa quiescere jubetur. *R. I. de anno 1555. §. Damit auch obberürte. Instrum. Pac. art. 5. §. 48.* adeoque cum jurisdictio suspensa esse jubeatur, sequitur eam nondum plane sublata esse, aliud enim est, non habere jurisdictionem, aliud eam non exercere, sive suspensam esse. *Dillingenses cap. 6. quæst. 42. n. 131. Ignatius Schuz. in appendice manual. pac. de jurisd. Eccles. Buckisch. ad Instrum. pac. art. 5. obs. 138.* extra religionis materiam jurisdictio etiamnum hodie catholicis Episcopis contra Augustanæ & Reformatæ

Religionem addictos plenarie competit, præcipue si anno 1624. in possessione vel quasi exercitii jurisdictionis illius fuerint. *Instrum. pac. art. 5. §. 48.*

Dubitari potest 1. *Ad quem pertineat jus cognoscendi de causis matrimonii, divortii, juris patronatus, decimarum, commissæ simoniæ, & similibus causarum spiritualium in Catholicorum diœcesi occurrentium?*

Ad Catholicorum tribunalia & consistoria ecclesiastica spectare, affirmant *Dillingenses cap. 6. quæst. 42. n. 132. & seqq. Ignatius Schutz. dict. loc. de jurisdic. eccles. Hermes in fascic. jur. publ. cap. 11. n. 13. in fin. Buckisch. ad Instrum. pac. art. 5. obs. 139.*

Probant ex eo, quia jurisdictio contra A catholicos in iis duntaxat causis suspensa est, quæ fidei & religionis diversitatem concernunt, non etiam in cæteris; per textum expressum *in R. I. de anno 1555. §. 20.* ibi: *Aber in andern Sachen und Fällen der Augspurgischen Confession, Religion, Glauben / Kirchen-Gebräuchen / Ordnungen / Ceremonien und Bestellung der Ministerien nicht anlangend / soll und mag die Jurisdiction durch die Erzbischöff / Bischöff und andere Prelaten / wie deren Exercitium an einem jeden Ort hergebracht / und sie in deren Übung / Gebrauch und Possession seynd / hinführo / wie bißhero ungehindert exercirt / geübt / und gebraucht werden; adde epistolam responsoriam Leopoldi ad Electorem*

R r 2

rem

rem Saxoniae de dato Ebersdorff. die 16. Julii anno 1669. ubi ita habetur: Daß die Bischöfliche Jurisdiction in Dero Herzogthumb Schlesien niemahls auffhebt / sondern indifuncte in omnes Diocesanos, auch vermög des Friedens. Schluß fundirt seye / wann ihnen nuhr nichts zuge- muhtet wird / Augustanae confessioni vel conscientiae repugnans; um so viel mehr / weil auch der Catholischen Stände im Römischen Reich Unterthanen Augspurgischer Confession, welche anno 1624. Jurisdictionem ecclesiasticam erkennen haben / solcher gestalt sie noch jetzt und fürhin erkennen müssen.

Sed praedictae similesque causae fidei religionisque diversitatem non concernunt, quandoquidem & acatholici matrimonium noverunt v. g. cum privigno, aut fratris cum sorore prohibent, divortium legitimi matrimonii sine causa non permittunt, simoniae crimen damnant, jus patronatus & decimarum recipiunt & defendunt; adeoque merito Archi Episcopos & Episcopus similesque Praelatos ejusmodi causas ad sua Dicasteria avocare ibique decidere. Sed

45 Dubitari potest 2. Si Episcopus per 60. vel 70. annorum spatium nunquam talem potestatem in Acatolicos exercuit, an possint Acatolici beneficium praescriptionis obtinere?

Negative respondent Dilligenfes dict. cap. 6. quest. 42. n. 134. Buckisch. ad Instrum. Pac. art. 5. observ. 139. tum propter malam fidem, cum

qua nulla unquam currit praescriptio, cap. ult. de praescript. tum quia Magistratus saecularis incapax est, possidendi jura spiritualia; Ergo & praescribendi.

Porro Dominus territorii vi superioritatis territorialis jus circa exercitium religionis disponendi habet, ita ut reformatio religionis sit sequela superioritatis indubitata. Prout manifestè constat ex Instrum. Pac. art. 5. §. 1. & specialius §. 30. quod tamen non adeo crude & absolutè accipiendum est, sed ita limitatum per Instrum. Pac. ut, qui aliqua anni 1624. parte, publico vel privato exercitio diversa à Domini sui religione sacra coluerunt, in eodem statu, imperturbati relinquuntur; Instrum. Pac. art. 5. §. 2. Schutz. in manual. pac. quest. 10. Seckendorff im Teutschen Fürsten Staat part 2. cap. 11. §. 1. Buckisch. ad Instrum. Pac. art. 5. observ. 10.

Dixi: qui publico vel privato exercitio sacra sua à Domini sui religione diversa coluerunt. Hinc

Dubitari potest 3. Quidnam per publicum vel privatum sacrorum exercitium intelligi debeat?

Respondent per publicum religionis exercitium id intelligi, si quis per ecclesiasticum ad hoc legitime ordinatum, in loco publico ad communem populi usum religionem exercere valet; per privatum verò, quando quis non nisi in aedibus aut residentia sua ad suum suorumque usum tantum, per

per ejusmodi ecclesiasticum religionem suam exercere tenetur. Veniunt autem nomine domesticorum proprie talium, qui vel in ipsa arce vel Burgo, oder sonst auff einen freyen Adlichen Hoff/ una cum Domino suo habitant, vel extra quidem, sed nullum separatim focum habent, sondern welche des Herrn gebrothete Dienere seynd/ auch ihr tägliches Essen und Trincken/ entweder in dem Schloß oder Burg haben / oder doch solches von deme abhohlen müssen; ceteri officiales, servi, subditi, quicumque extra arcem vel residentiam Domini, licet in eodem pago vel oppido habitantes, & proprio lare muniti, in praesentiarum pro exteris habendi sunt. juxta Buckisch ad *Instrum. Pac. art. 5. observ. 85. Schuz. in manual pac. quest. 18.*

47 Quæres 19. *Quenam spectent ad legem diœcesanam Episcopi?*

Resp. 1. Lex diœcesana Episcopi consistit 1. in vocatione ad synodum, *c. conquerente. de offic. jud. ordin. cap. 9. de major. & obed.* quamvis synodus sit quid mixtum; nam quoad convocationem pertinet ad legem diœcesanam, quatenus vero in ea judicatur, vel quid statuitur, ad legem jurisdictionis; Unde quamvis ipsa monasteria sint exempta à lege diœcesana, tamen Abbates eorum non sunt exempti quoad synodum, quominus ad illam venire teneantur.

Resp. 2. Ad legem Diœcesanam pertinet exactio annua synodatici

seu cathedralici, cujus nomine duos solidos Episcopus petere potest, à qualibet Ecclesia suæ Diœcesis. *cit. cap. conquerente de offic. jud. ordin. juncta Glossa V. duos solidos, quæ ait solidum accipi pro aureo. can. 8. caus. 10. quest. 3.* à qua tamen pensione solvenda exemptæ sunt Ecclesiæ monasteriorum, non item capellæ eorum ipsis incorporatæ. Dicitur autem Synodaticum, quia solvi debet à synodo episcopali, quot annis olim celebranda, & cathedralicum, quia ob honorem cathedræ seu dignitatis episcopalis datur. Porro cum valor duorum solidorum varius sit in diversis provinciis, attendenda semper est in ejus taxatione & solutione rationabilis consuetudo cujuscunque provinciæ aut diœcesis. *Barbosa de offic. Episc. allegat. 86. n. 44.*

Resp. 3. Inter jura episcopalia spectantia ad legem diœcesanam numeratur etiam quarta decimationum, quæ spectato jure communi episcopo seu ordinario loci præstanda est. *cap. 4. de prescript.* idque propter universalem curam, quam habet Episcopus in Ecclesiis sibi subjectis. debetur autem hæc quarta decimarum de jure communi à solis ecclesiis parochialibus, ad quas eodem jure duntaxat decimæ pertinent, ex quibus ista quarta detrahitur, à qua proinde monasteria, & aliæ ecclesiæ non parochiales sunt exemptæ. *Barbosa loc. cit. n. 38.* hodie tamen & moderno jure, cum jam pluribus locis Episcopi sufficientem

Rr 3

&

& abundantem sustentationem habeant ex propriis foundationibus, vel aliunde, ideo praestatio hujus quartae in plurimis diocesisibus per desuetudinem abolita est. Layman. *lib. 4. Theol. moral. Tract. 6. cap. 4. num. 6.*

Resp. 4. Inter jura episcopalia numeratur etiam quarta mortuorum, id est portio canonica debita episcopo ex legatis & funeralibus oblationibus, quae factae sunt ecclesiis vel aliis piis locis intra diocesis ejus fitis; *dict. cap. conquerente. & sumitur etiam ex c. 15. de testam. cum enim episcopus sit ordinarius Pastor ecclesiarum suae dioceseos, ideo pars aliqua ad ipsum spectare debet ex iis, quae ecclesiis relinquuntur, non solum cathedrali, sed etiam inferioribus sibi subiectis cit. cap. 15. §. secus. de testam.*

Haec autem canonica portio episcopalis secundum variam locorum consuetudinem varia est & diversa, nam alicubi quarta, alibi tertia, alibi media pars eorum, quae legantur vel ecclesiis obveniunt. *dict. cap. 15. de testam. pluribus autem locis per contrariam consuetudinem est omnino abolita. Juxta Azor. part. 2. instit. lib. 9. c. 12. quae 3. Barbosa loc. cit. alleg. 66. n. 4.*

Ubi vero & quatenus ea in usu est, ad illam praestandam etiam obligantur monasteria non exempta *cit. cap. 15. de testament. Abbas in cap. dilectus 18. n. 4. de offic. jud. ordin. imo etiam secundum aliquos Doctores monasteria & ecclesiae ex-*

emptae. Hostiens. in summa de sepult. n. 12. Layman. lib. 3. theol. moral. tract. 5. cap. ult. n. 13. & de jurisdict. ordin. conclus. 120. verum probabilius est oppositum, quia haec quarta portio debetur ratione ecclesiarum, quibus bona legantur, idque in signum superioritatis, propter onus curae pastoralis; atqui episcopus non est superior neque curam habet ecclesiae vel loci exempti, & immediate Papae subiecti; ideoque non potest exigere, vel percipere jura episcopalia in locis exemptis. Pirrhing. sect. 3. §. 9. n. 106. d. l. Ecclesiae tamen exemptae quae habent capellas, vel populum non exemptum, tenentur ad hanc canonicam portionem episcopo praestandam, nisi populus pleno jure, id est in spiritualibus & temporalibus subiectus esset ecclesiae exemptae. Juxta concilium tamen Trident. Sess. 25. cap. 13. de reform. hanc quartam mortuorum seu funeralium etiam solvere debent regulares exempti, si jam ante annos quadraginta cathedrali aut parochiali ecclesiae solita fuerat persolvi, non obstantibus privilegiis, monasteriis, hospitalibus, aliisque piis locis, quibuscunque postea concessis, verum haec canonica portio, ut paulo ante memini, omnino in desuetudinem abiit, praesertim in Germania.

Resp. 5. Inter jura episcopalia ⁴⁹ numerantur etiam procurationes, id est, victualia praestari solita ab ecclesiis, tempore visitationis, dum episcopus vel alius ejus jussu visi-

tat,

tat, quæ tamen secundum facultates cujusque ecclesiæ & ita moderate exigi debent, ut ecclesiæ non graventur, nec aliquæ præ aliis. *dist. cap. conquerente, de offic. judic. ordin. ad ejusmodi procuraciones obligantur etiam monasteria non exempta a jurisdictione episcopi cap. 14. de censib. quia procuratio annexa est visitationi; cap. 21. eod. ideoque nonnulli procuraciones has ad legem jurisdictionalem revocant. Imo etiam monasteria exempta ratione capellarum seu Parochiarum, quæ ipsis incorporatæ & non exemptæ sunt, has procuraciones solvere coguntur, quia unio ecclesiarum præsumitur semper facta esse salvis juribus episcopalibus. Layman. *de jurisdic. ord. n. 120.* non tamen ab ecclesiis omnino pauperibus procuraciones accipiendæ sunt, sed episcopus propriis sumptibus eas visitare tenetur, sicuti etiam hospitalia & domos pauperum, vel infirmorum. Barbofa *de offic. Episcopi, alleg. 73. num. 50.**

Porro si episcopus non per se sed per alium, quando id jure permittitur (ut quia legitime impeditus personaliter non potest,) diœcesin visitat, tum ipse episcopus illi, qui loco ipsius visitat, necessaria providere debet (videlicet vestes, famulos, salaria, equos, *inter cætera de officio judic. ordin.*) illi vero, qui visitantur, solum tenentur expensas victualium, id est necessaria ad victum sive cibum & potum, mini-

strare visitanti, prout statutum est *in cap. 6. de offic. jud. ordin. in 6.* ubi etiam in fine additur, quod si episcopus personaliter non visitet, non potest nec debet ab aliis, qui per alium a se deputatum visitantur, quidquam exigere, ratio est, quia procuraciones, seu victualia debentur ratione visitationis. *cap. 22. de censib.* si ergo ipse episcopus personaliter non visitet, nihil eo nomine exigere potest. sed illi præberi debent, procuraciones, per quem ecclesiæ visitantur, neque etiam ex eo, quod visitati plus expendissent, si episcopus personaliter eos visitasset, illum excessum episcopus exigere potest, Pirrhing. *loc. cit. n. 108.*

Resp. 6. Inter jura denique ad 49 legem diœcesanam spectantia numerantur etiam petitio moderati auxilii sive charitativi subsidii, quod episcopus ex causa manifesta & rationali exigere potest, secundum facultates ecclesiæ vel beneficii, ita ut ecclesiæ vel clerici non nimium graventur, *cit. cap. conquerente. cap. 6. §. prohibemus de censib.* ideo autem charitativum subsidium sic dictum est, quia ab initio cum charitate postulandum *cit. cap. conquerente,* quamvis si ex justa causa petitum solvere id clerici renuant, compelli possint, etiam per censuram excommunicationis, ad id solvendum. Barbofa *de offic. episc. alleg. 87. n. 2.* ad hoc subsidium episcopo præstandum non tenentur monasteria vel ecclesiæ regularium sive exemptæ

exemptæ, siue etiam non exemptæ, spectato jure communi, nisi ratione ecclesiarum sæcularium vel capellarum habentium populum siue curam plebis, quæ antequam unirentur monasterio, solvere consueverunt hoc subsidium charitatis, & alia jura episcopalia; ideoque censentur cum hoc onere unitæ & incorporatæ monasterio, de quibus est sermo in *clement. 1. & 2. de censib.* alioquin per se non tenentur, quia exhibitio hujus subsidii est de lege diœcesana episcopi, a qua sunt exempta monasteria & ecclesiæ regularium, verum hodiernis moribus episcopi consueverunt etiam subsidium charitativum vel potius subsidium coactum exigere. Sed neque pauperes clerici qui vix sufficientem victum & vestitum habent ex beneficio, possunt cogi ad tale subsidium præstandum. Barbofa *loc. cit. allegat. 87. n. 45.* Pirrhing. *sect. 3. §. 9. n. 109.* ubi tamen signanter est advertendum, quod hoc subsidium charitativum ex causa necessitatis sit petendum & præstandum, adeoque hac necessitate cessante exigi non debet, neque etiam conservatio majoris curiæ hanc causam supplet.

50 Porro hæc jurisdictio episcopi, sicut & quorumlibet Prælatorum, in actu secundo exerceri nequit, ante impetratam confirmationem; ante hanc enim potestatem jurisditionis vel administrationis nec in rebus aut juribus spiritualibus, neque in temporalibus habet, prout

constat ex *cap. 9. de Elect. & Elect. potest.* ubi rescribit Alexander III, quod electus in episcopum Lincolnensem ante confirmationem acceptam conferendi beneficia & honores ecclesiasticos, vel alias de rebus ecclesiæ disponendi aut eas administrandi non habeat facultatem; Ratio autem, cur episcopus vel alius Prælatus electus res & jura ecclesiæ administrare non debeat, priusquam sit confirmatus, est, quia confirmatio vix aliquid operaretur, si ante illam electo potestas administrationis competeret, neque is multum sollicitus foret, de obtinenda confirmatione, ne se periculo cassationis exponeret; Etsi, quando electionem ex causa cassari contingeret, non ita facile electus a prælatura, quam jam administrare cœpit, removeri posset, Hostiensis in *cap. 17. post princip. de Elect. & Elect. potest.* Quod tamen quoad episcopos Germaniæ non obtinet, quibus in concordia electis etiam ante confirmationem competit facultas administrandi ecclesiam.

Corollarium 1. Archi episcopis & episcopis commune est, quod obtenta confirmatione consecrari debeant, etenim prælati episcopis inferiores, non consecrari sed benedicendi dicuntur, a quo insuper episcopus consecrari debeat, dixi supra §. *precedente*; hic notandum quod episcopus a die confirmationis acceptæ, cessante legitimo impedimento, consecrationem ultra tres menses differre non debeat, alioquin,

quin, qui statuto tempore consecrationem non susceperit, ecclesiastica condemnationi subiacet. Ita habetur statutum in concilio Chalcedonensi *cap. 25. quod refertur in can. 2. dist. 75.* quod etiam confirmat Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 2. de reformat.* Denique episcopus per consecrationem consequitur plenitudinem officii episcopalis, ita ut non solum ea, quæ jurisdictionis sunt, sed etiam functiones ordinis episcopalis, his veluti gradibus acquirantur: nam primo fit electio canonica, per quam acquiritur jus petendi episcopatum, cui æquiparatur postulatio. 2.) Huic succedit confirmatio, per quam datur jus administrandi & possessionem capiendi. 3.) Acquiritur possessio pacifica, tam in spiritualibus quam temporalibus, saltem quoad majorem partem bonorum. *arg. cap. 1. §. illum autem. de restit. spoliat. n. 6.* 4. Fit consecratio, per quam acquiritur exercitium etiam ordinis episcopalis, nam per consecrationem matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam fit consummatum seu perfectum. Hostiensis in *summa. de transl. Episc. n. 4.* Episcopus, cum ante consecrationem, etsi confirmatus sit, non absolute sed cum addito: Episcopus electus, vel confirmatus, appellari debeat. ut colligitur *ex cap. 8. ibi: vel electo. de his quæ sunt à prælat. &c.*

25 Corollarium 2. Obtinendi dignitates ecclesiasticas quinque sunt

modi, & quidem 1. Electio. 2. Postulatio. 3. Translatio. 4. Nominatio. 5. Collatio; quinam possint eligi, vel quinam possint eligere, qua forma peragi debeat electio, hauriendum est ex jure privato *tit. de Elect. & Elect. potestate.* postulatio rursus describitur *tit. de postulatione.* in Decretalibus, ex quibus etiam materia translationum est accipienda; nominatio sive jus nominandi est assumptio personæ ad prælaturam Ecclesiæ viduatæ ad superiorem non collegialiter directæ, hoc jus nominandi acquiritur ex speciali privilegio & indultu summi Pontificis; tale privilegium habent: 1. Reges Galliæ, ex concordatis anno 1516. inter Leonem X. Pontificem & Franciscum I. Bononiæ conclusis, vi cujus nominant personas idoneas ad omnes Episcopatus, nec non Abbantias perpetuas (paucis exceptis) in regno Galliæ, Delphinatu & Comitatu Dienfi ac Valentiniensi, reservata Pontifici facultate nominationes à regibus factas confirmandi. Van-Espen, *J. E. U. part. 1. tit. 17. cap. 3. num. 11.*

Tale privilegium 2. habere reges Hispaniæ, ex unanimi Hispanicorum scriptorum consensu testatur Van Espen. *cit. cap. 3. num. 15.* quod & ipsi plerosque regnorum suorum Antistites ad Ecclesias cathedrales nominare, & summo Pontifici confirmandos præsentare valeant, suffragantur huic testimonio Covarruvias *ad cap. possessor. part. 2. §. 10.*

Ss

n. 5.

n. 5. Barbosa de offic. & potestate Episc. part. 1. tit. 1. cap. 3. à n. 27.

53 Tale privilegium habuisse tertio Romanorum Imperatores, constat ex can. Hadrianus 22. & can. seq. dist. 63. ut supra dissert. 1. aliquantulum memini, idque saepius & diversimodè ab illis usurpatum fuisse, usque dum in Concilio Rhemenfi & Lateranenfi, atque etiam in Comitibus Wormatiensibus sub annum 1122. ab Henrico IV. cum statuum omnium Imperii consensu electiones Episcopales in plenissimam libertatem assertæ, & ab omni Cæsareo consensu exemptæ sunt, salva tamen feudorum & regalium investitura, per sceptrum faciendâ, ut tradit Eminentissimus Cardinalis Sfondrati *regal. sacerdot. in pralud. §. 1. sub n. 13.* quod ipsum etiam affirmat Henricus Lynckius in *commentar. ad Decretales lib. 1. tit. 6. de Elect. §. 4.* quem reliqui publicistæ & scriptores A catholici, non tamen sine aculeo in Pontificem, sequuntur.

Hactenus de jure & potestate Episcoporum, postquam legitime sunt instituti in sua dignitate; unum superest dicendum de annatis, quas electi Episcopi sedi Apostolicæ solvere tenentur.

54 Notandum 1. Annatas vel inde dictas esse, quod adnatæ quasi sint redditibus Episcopatum aliorumque beneficiorum, ut sentit P. Wagnereck. *hic in exegefi ad §. 4. in Concordatis Germaniæ vers. de fruct. primi anni,* vel ut sentit Fagnanus

in cap. *præterea 1. ne Pralati vices suas. n. 8.*

Notandum 2. à Fagnano *loc. cit. n. 9.* quatuor annatarum species assignari. Primam vocat annatam in specie, quæ est dimidia pars fructuum cameræ Apostolicæ persolvenda, de omnibus beneficiis, quæ à Papa extra consistorium conferuntur, si eorum valor sive redditus annuus 24. florenos auri de camera sive ducatos excedat, & quia canonicatus Germaniæ & Hispaniæ, etiamsi annui eorum redditus mille aureos superent, in camera non nisi 24. aureis æstimantur, hinc est, quod de iis nullæ præstentur annatæ, ut testantur Chockier *ad Reg. Cancell. 61.* Wagnereck. *ad cit. §. 4. vers. quæ valorem, 24.* Wiestner. *ad tit. de Elect. num. 149.* Secundam speciem Fagnanus *servitia minuta* nuncupat, sive *quinque portiunculas*, quæ inter Papæ ministros, & officiales distribui solent.

Tertiam appellat *quindennium*, quæ est dimidia pars fructuum unius anni, cameræ Apostolicæ singulis quindecim annis de quibusdam beneficiis solvenda, vel propter exemptionem à communi reservatione, sicut quædam Præposituræ cathedrales, quia ex speciali indulto Papæ factæ sunt electivæ, suum quindennium seu quindenae solvere tenentur, teste P. Wiestner. *loc. cit. n. 149.*

Quartam *commune servitium* nominat, estque fructus primi anni, seu

seu certa pecuniæ summa, quæ cameræ Apostolicæ secundum ejus librorum taxam solvitur à Prælati, quorum prælaturæ in consistorio cardinalium rogatis eorum sententiis, conferuntur, inter Pontificem & cardinales dividenda.

55 Notandum 3. ab Episcopis, Archi-Episcopis, & illis Germaniæ Prælati, qui sacræ sedi immediate sunt subjecti, quales sunt Fuldenfis, Campidonensis & Elvacensis &c noviter electis, ultimam annatarum speciem juxta verba & litteras concordatorum Germaniæ hoc modo solvendam esse, 1. ut summa & quantitas, juxta taxam cameræ Apostolicæ quintam partem reddituum annuorum prælaturæ vix superet, atque adeo ab Episcopatu, cujus annui fructus sunt 1000000. floreni, circiter viginti millia præstentur. 2. Ut dimidia pars hujus summæ primo regiminis anno, altera dimidia pars altero anno offerri debeat. 3. Ut, si uno anno prælatura sapius vacet, non sapius, sed semel duntaxat annata solvatur. 4. Ut, quod antecessor prælatus non præstitit, successorem in officio non oneret. 5. Ut, si prælaturæ quædam excessive videantur esse taxatæ, ad earum relaxationem & mitigationem devenire liceat. D. Francisc. Schmier. tract. de mod. acquirend. & amitt. prælat. c. 1. sect. 5. §. 3. n. 321.

56 Notandum 4. De annatarum origine difformes sententias esse, primo enim aliqui cum Platina in vita

Bonifacii IX. huic Pontifici annatarum originem adscribunt, eo quod hodieum Bonifacianæ nuncupentur; sed passim exploditur hæc opinio, quia non omnes annatæ sunt Bonifacianæ, sed ea tantum, quæ *annata in specie* nuncupatur, nam tempore Joannis XXII. qui sedit ante Bonifacium IX. in Petri Cathedra, jam fuerunt in usu, per text. in *Extravag. 11. de præbend. inter commun.*

2. Alii sunt, qui annatarum auctorem volunt esse præfatum Joannem XXII. sed neque hi fidem merentur, quia jam tempore S. Damasi circa annum Christi 367. consueverunt summi Pontifices à beneficiatis aliquam pensionem recipere.

3. Doctrina est Cajetani, quam refert & sequitur Fagnanus in *cap. 1. ne Prælati vices suas. num. 8.* ad ipsa Ecclesiæ primordia Annatarum impositionem referentis, eo quod Ecclesiæ Hierosolymitanæ jam Apostolorum temporibus collectæ quædam solutæ sint.

Quidquid demum sit de annata, 57 rum introductione originaria, ab omnibus qui veritatem in pretio, & sedem Apostolicam in veneratione habent, annatarum exactio, ut licita defenditur.

Ratio est 1. quia summus Pontifex tanquam supremus Ecclesiæ Princeps potest utique in recognitionem suprematus ab omnibus Prælati, & clericis aliquid in recognitionem supremi dominii petere

tere; *l. un. C. de annon. & capital. d. 6. C. de prescriptionibus 30. vel 40. annorum.* 2. Quia inferioribus Episcopis non est prohibitum charitativum subsidium in sua diocesi petere; *cap. 16. de offic. jud. ordin. & summus Ecclesiae Episcopus tali subsidio privatus sit?* 3. Quia jam in veteri lege *Num. 18.* erat. praecipuum, ut de decimis decimas offerant, easque sacerdotum maximo, Araoni porrigant, ut adeo sacerdotum maximo in lege gratiae prohibitum esse, nemo sanus dixerit, quin aliquam partem fructuum, non singulis annis, sed 20. saepe 30. aut 40. annis semel duataxat solvendam exigere possit? vide Cardinalem Sfortia Palavicin. in Histo-

ria Concil. Trident. *lib. 2. cap. 8. n. 3. & 4. Fagnanum loc. cit. num. 14. & seqq. Wiestner. loc. cit. n. 151.*

Dicunt aliqui annatis tanquam pretio infulas & pallia venundari. Sed respondetur Negando, jus enim spirituale, quod est in beneficiis & praelaturis Ecclesiasticis, non venditur per annatas, sed juri temporali, quod in facultate percipiendi fructus consistit, onus aliquod & tributum imponitur, quo inferiores Ecclesiae in reverentiam & sublevamen Ecclesiae majoris & Romanae, toties quoties vacant, certam pecuniarum quotam dependunt; adeoque annatis infulae & pallia non exponuntur venalia.

SECTIO III.

DE

ARCHI-EPISCOPIS ET EPISCOPIS GERMANIAE IN SPECIE.

Postquam vidimus Jura & Prærogativas Archi-Episcoporum, quæ per totam Ecclesiam velut omnibus communia obtinent; merito transeundum est ad sacros Nationis Germanicæ Archi Præsules, & Episcopos, qui velut potiora & insigniora Reipublicæ Ecclesiasticæ sydera, majori præ reliquis splendore relucent. Qui equidem præter dignitatem Ecclesiasticam summos obtinent in Imperio Romano-Germanico honores & dignitates, quales vix apud ullam aliam gentem Ecclesiae Prælati exercent.

§. I.

§. I.

DE ARCHI-EPISCOPO ET SACRA SEDE
MOGUNTINA.

SUMMARIA.

1. Refertur initium S. Sedis Moguntinae. 2. Quo anno Electoralis dignitas accesserit Archi-Episcopali? 3. Est Moguntinus primus Elector & totius Collegii Electoralis Decanus. 4. Est per Germaniam Archi-Cancellarius, ubi reliqua Archi-Cancellarii jura referuntur. 5. Est Protector & Director Postarum Imperialium. 6. Referuntur caetera jura Archi-Cancellarii. 7. Habet Jus coronandi Reges Romanorum, & quando. 8. Recensentur diversa alia

privilegia Moguntino competentia. 9. Recensetur Episcopatus Herbipolensis. 10. Eichstettensis. 11. Episcopatus Wormatiensis. 12. Spirensis. 13. Argentoratensis. 14. Augustanus. 15. Constantiensis. 16. Curiensis. 17. Hildesensis. 18. Paderbornensis. 19. Episcopatus Halberstadiensis quando fuerit secularizatus. 20. De Verdensi quid observandum. 21. Recensetur Episcopatus exemptus Bambergensis.

1 Sacrae sedis Moguntinae dignitas ex eo relucet, quod ecclesia Moguntina prima fuerit in Germania, unde Pipinus & Carolus Franciae Reges consensu Zachariae Pontificis Moguntiam totius Germaniae reddebant Metropolim, illiusque episcopum primum Archi episcopum constituiebant. Vide Befoldum *Dissert. de Monarch. Rom. num. 161.* omnium horum episcoporum refertur primus Clemens, Pauli Apostoli discipulus, tanquam ecclesiae plantator, eum sequebantur quadraginta episcopi usque ad tempora sancti Bonifacii, qui *Apostolus Germaniae* dictus, & primus dignita-

tem Archi - episcopalem accepisse fertur vid. Gudeni *Histor. Erford. lib. 1. p. 12.* ibi: *evacuata Moguntia sedem, e Romani Pontificis Zachariae destinatione conscendit, ac primus Archi-episcopalem fecit, cum antea Wormatienses suspiceret.* Hanc Archi-episcopalem dignitatem electorali auctam, primo obtinuit Willegisus, circa annum enim 998. tempore Ottonis III. & Gregorii V. Pontificis, collegium electorale exortum est, circa quod tempus Willegisus fedi Moguntinae praesuit, a quo Archi- praesule & primo Electore successores Moguntini rotam, velut insigne acceperunt & adhuc gerunt.

Ss 3

Suc-

Successionem in sede Moguntina varii exhibent, inter reliquos vide Hübneri *Historiam part. 7. a fol. 3.* ubi recensentur episcopi 40. usque dum sedes Moguntina ad Archiepiscopatum fuerit eversa, Archiepiscopi numerantur 16. Usque prerogativa electoralis Archiepiscopatus fuerit superaddita, Electores numerantur 52. Modernus est:

Eminentissimus ac reverendissimus S. R. I. Princeps Elector: **LOTHARIUS FRANCISCUS**, S. Sedis Moguntinae Archiepiscopus. S. R. I. Archie-Cancellarius, & Episcopus Bambergensis; qui anno 1673. electus in episcopum Bambergensem, anno 1694. in coadjutorem Moguntinum, & anno 1695. in Archiepiscopatu & Electoratu successit; natus ex illustrissima facri Romani Imperii Comitum de Schönborn familia, quae An. 1647. primum ex hac stirpe Electorem Moguntinum, & Episcopum Herbipolensem, **JOANNEM PHILIPPUM** numeravit; facunda sane Principum genitrix familia, Exantlati labores, quibus eminentissimus hic Princeps inter cruentos belli tumultus, & varias imperii tempestates, de imperio optime meritus, & sub tribus Imperatoribus **LEOPOLDO**, **JOSEPHO I.** & **CAROLO VI.** Imperii & Electoralis collegii directorium administravit, narrabunt posthumi, & fera loquetur posteritas.

³ Jura & Privilegia Archiepiscopo ac Electori Moguntino competen-

tia exhibet Boeneburgius relatus à Vitriario *lib. 13. tit. 10.* his verbis: 1. Habet primum electoratum, cui nemo controversiam facit, nequidem Rex Bohemiae. Secundo in electione omnes fere praeminentias habet, dum & dirigit electionem, juxta praescriptionem A. B. & totius collegii Electoralis Decanus est. Maximilianus I. Imperator in Diplomate 1498. appellat eum *Obristen Churfürsten*; Solus habet jus Coelectores collegas suos convocandi, diemque edicendi, tum ad Electionis actum, tum ad dietas electorales & collegiales, jus jurandum reliquorum excipiendi, proponendi, suffragia colligendi, concludendi, decretum electionis pronunciandi. Tertio capitulationem conficit, si ve ex votorum pluralitate praescribit atque dirigit. Huc adduntur alia: ut Archie-cancellariatus per Germaniam, cujus virtute est Archie-cancellarius unus & solus effective; Atque jure hujus Archie-cancellariatus per Germaniam:

Primo subscribit & subsignat vel ipse, vel per suum imperii Vice-cancellarium decreta Imperatoris & Imperii, in comitiis & conventibus, extraque conventus, tum alia imperii nomine publicanda.

2. Sigilla imperatoria asservat, omnium actorum, chartarum, Archivi, matriculae, monumentorum, & documentorum variorum depositarius & custos est, ut etiam expedi-

peditionem Italicarum rerum per Vice-cancellarium administret.

3. Directorium habet in comitiis Imperii, aliisque conventibus, omni tempore, locoque secundus est a Cæsare.

4. Solus in aula Cæsarea Ministerium ac Vicarium sive vice-cancellarium habet, sibi quoque non tantum Cæsari sacramento religione obstrictum; qua de re exstat privilegium Maximiliani I. de anno 1509. Sed & ceteri, ad cancellariatum imperii procuracionem destinati ministri a Moguntino constituuntur, ipsique post Cæsarem, juramento obstringuntur, & salariis & taxa imperiali sustentantur, quam regit Moguntinus.

5. Solus deputationem ordinariam, an. 1555. institutam convocat, & proponit.

6. Solus omni tempore extra conventus ab Imperatore litteras accipit, per quas die Churfürstliche Gutachten eingefordert und eingeholet werden.

7. Solus loquitur in Propositione comitali, & cæsari respondet nomine electorum & statuum.

8. Est protector & director postæ imperialis.

9. Solius Moguntini ministris secretioribus debetur immunitas a solutione vectigalis litterarum.

10. Solus est, ausschreibender Churfürst/ und Director im Churfürstlichen Rheyneischen Crayß; quo includuntur nimirum electoratus ecclesiastici omnes & palatinus,

11. Tempore interregni cum Vicariis reipublicæ invigilat præcipue.

12. Cancellariam in camera imperiali regit, ac officialibus ministrisque instruit, sicut patet ex litteris cardinalis Alberti Moguntini ad Cæsarem Carolum V. & ex actis institutæ cameræ; tum ex confirmationibus Maximiliani I. & Caroli V. des Erz- & Canslers Amts- Würde. Addatur Recept. Norimbergensis 1523. §. item hat auch.

13. Soli Moguntino legati Electorum, Principum & ordinum imperii, omnesque deputati, in comitiis, aliisque conventibus se sistunt, mandata & credentiales afferunt, & desuper testationes expectant, discessuri ante finitum conventum veniam petunt. Imo & Regum legatos atque aliorum magnatum ambassadores, si in comitiis imperii aliquid proponendum habeant, mandata specialia & generalia Moguntino ostendere, præsentiam suam illi notam facere, & discessum significare oportet; qui omnia deinceps conventui profert.

14. Huic etiam exteri legati & residentes, agentesque suas res primum exponunt.

15. Expedit solus in cancellaria acta, attestata, & alia momentosa pro Imperio.

16. Coram ipso solo reservationes, protestationes, denunciationes, requisitiones, & ejusmodi alia fiunt, quemadmodum soli quoque Moguntino.

guntino, ejusque directorio traduntur statuum memorialia, desideria, commonitoria, postulata, & omnes omnium supplicationes atque petitiones.

17. Moguntinus solus decernit & intimat revisiones, ubi vero ipsemet interessatus (quia nemo in propria causa judicem agit. *l. 10. ff. de jurisd. l. 10. ff. de testib. l. ult. §. penult. C. ubi Senat. & clariss.*) tum demum Trevir. supplet, ipso Moguntino id olim deprecato, *R. J. 1594. S. 99.*

18. Solius Moguntini Cancellarius & Secretarius sitzen übern Tisch mitten im Saal bey Proposition und Abschied des Reichs & Tages. Item in Electorali collegio.

19. Moguntini Cancellario wird von Kayserl. Majestät die Proposition zugestellet/ und gebühren Chur Maynz allein und dessen Cansley alle ansagen zu Reichs, Supplication-Deputations, auch anderen/ und allen Neben-Räthen/befiehlt solche dem Erb-Marschall. Es mag Maynzischer Churfürst durch seinen Canslar/ die zweyte oder aber andere proposition im Churfürstl. Collegio thun/ wie nemlich auf die Kayserliche Proposition in selbigem/ und dem Fürsten und Städten Rath zu verfahren/ und die Sachen einzutheilen; eodem modo, im Fürsten Rath/ daß durch sein Ober-Reichs-Directorium Maynz alleweg von neuen mittelst der Reichs-Directorien anfänget/ oder was noch nicht gar erörtert und hangen blieben/

continuiret/ es in neue Umfragen stellet/ Ordnung hält/ und dahin siehet/ daß die Sachen/ so nöthig/ allezeit dem andern vorgezogen werden/ quod si punctum aliquod per consultationem nondum decisum, vel vota sint discordantia, ut nullā certitudo ex eis reluceat, Moguntinus secunda, tertia vice, imo toties inquirat per ordinem, donec quaestio decidatur; cui demum standum erit, non attento, quid unus aut duo ex Electoribus vel alii contra opponant; Moguntinus dicitur, omnia memorialia & chartas, & aliis solus communicat, nam si exteri Magnates aliquid ab Imperio prætendant, scriptum petitorium mittitur Moguntino, qui illud tanquam originale inter acta reponit, postquam argumenta ejus reliquis statibus per Secretarium dicitavit, protocollum Moguntinum nuncupatur protocollum imperii, ad quod tanquam authenticum provocatur ceteris protocollis discrepantibus, vel si lis moveatur super eo, quod gestum est, reliqui enim status æque ac Moguntinus, Protocolla habent, sed pro authenticis non habentur, ut Moguntinum, nec eis adscribitur fides, nisi in quantum conveniunt cum authentico Moguntino; si quis protestetur, rogat eam protestationem protocollo Moguntino inferi, ceterorum autem protocollis, nisi cum Moguntino collationatis, non statuitur, & ideo Moguntinus secretarius vel protocollista attentam dili-

diligentiam impendere debet. Cancellarius Moguntinus semper primo refert concilio Principum, si collegium Electorale concilium Principum ad relationem vocavit; Item si collegium Electorale & Principum re- & correferendo facti sunt unanimes, & concilium civitatum fuerit vocatum.

20. Præter hæc libertates, dignitates, honores, jura, istas quoque potestates habet Moguntinus: Cancellariatu suo tam intra quam extra curiam Imperatoriam fungendi, & alios suo loco substituendi, & una cum Cæsare accipiendi semper decimam partem de bonis, petitionibus & exactionibus Judæorum; videantur litteræ Adolphi Romanorum Regis, de anno 1292. Alberti item de anno 1298. Ludovici de anno 1314. & hoc ante auream bullam.

21. Elector Moguntinus etiam subinde Vicarius Imperatoris fuit, videatur Diploma Regis Sigismundi das fallende Umgelt betreffend / Mäynß gehörig.

22. Moguntinus vindicat jus coronandi, ungenti, consecrandi Reges Romanorum, olim per omnem Germaniam, sed orta controversia inter Moguntinum & Coloniensem res pactione terminata est, anno 1657. 25. Junii. Ita, ut si Imperator sit coronandus, in Ditione Coloniensi, Coloniensis hoc peragat, si in Ditione Moguntini, Moguntinus; si in neutrius, ut alternare debeant.

23. Elector Moguntinus habet Jus stapulæ.

24. Item jus de non provocando.

25. Habet jus die Reichs-Pfandschafften einzulösen.

26. Item privilegia contra omnia privilegia ipsius juri contraria, de de anno 1686. 1495. 1507. 1516.

27. Circa Judæos valde insignia habet privilegia ab Adolpho Imperatore, anno 1292. & anno 1297. Henrico, Alberto, Ruperto Palatino.

28. Item privilegia Sigismundi de anno 1400. daß die an dem Land und Lehnshafften die zwischen Sachsen und Hessen getroffene Erb Vereine / dem Erbz. Stifft unnachtheilig seyn solle.

29. Item privilegium Maximiliani de anno 1498. quod subditi Moguntini sine consensu Moguntini expresso se nullius alterius protectioni committere aufint.

30. Privilegium Maximiliani von Angriff der Uebthäter in alieno territorio.

31. Item jus super Mæno, das Marck-Schiff / singulis enim hebdomadibus navis mercibus Moguntinorum mercatorum onusta, Francofurtum petere solet, quam Marck-Schiff vocant, quæ licentia nulli Electorum ad Rhenum dominantium præterea competit; amplo privilegio navis hæc à Moguntino ornata est.

Denique Archi-Episcopus & Elector Moguntinus insignes habet

T t

sub-

subofficiarios, videlicet Landgravi-
vium Hassiae *Archi-Marescallum*
Comitem de Veldenz, *Tapiferum*,
Dominum de Schœnburg, *Pincernam*,
quæ sunt potiora supremi hujus
per Germaniam Archi-Episcopi &
Electoris jura & prerogativa, ex
quibus colligitur, quanta sit sacrae
sedis Moguntinae præ eminentia.

Præterea dicendum superest,
quænam terræ & ditiones ad Archi-
episcopatum & Electoratum Mo-
guntinum pertineant: 1. *Maynz* /
latine *Moguntia* ad Rhenum sita
ex altera parte, ubi *Mœnus* Rheno
inhabitur, estque hæc Metropolis &
Aula Archi-Episcopi Electoris, cum
suo Territorio ex utraque parte
Mœni & *Rheni*. 2. Huc pertinet
Via Montana, vulgò *die Berg*
Straßen / inter *Heydelbergam* &
Darmstadium sita. 3. *Aschaff-*
burgum cum amplo suo Territo-
rio versus *Franconiam* ad *Mœnum*.
4. In *Palatinatu Inferiori* *Satrapia*
Dux Gerresheim & *Saberenheim*.
5. In *Thuringia* ipsa *Metropolis*
Erfordia cum suo insigni Territo-
rio, cujus *Gubernator Principalis*;
Modernus est *Illustrissimus Comes*,
PHILIPPUS WILHELMUS, S. R. I.
Comes de BOINEBURG, *Metropo-*
litani Capituli Moguntini & *Trevi-*
rensis respectivè Senior & *supremus*
Chori-Episcopus; & multis aliis
titulis insignitus, *Almæ hujus Uni-*
versitatis, in qua hæc scribo, per plu-
res annos *Rector*. 6. Inter *Thurin-*
giam & *Saxoniam inferiorem* *Pro-*
vincia Eichsfeldiaca, communiter

das *Eichsfeld*. 7. In *Landgravia-*
tu Hassiae insignia oppida *Frizlaria*
germanicè *Frizlar* & *Amenebur-*
gum vulgò *Dhneburg* ad *Electo-*
ratum Moguntinum pertinent.

Electoralis hujus *Archi-Episco-*
patus præ eminentiam rursus osten-
dunt ejus *Episcopi suffraganei* per
Germaniam potentissimi, nullus
equidem ex *Germania* *Archi-epi-*
scopis tot numerat *suffraganeos*
episcopos, ut *Archi-præsul* *Mogun-*
tinus. Inter *suffraganeatus* nu-
meratur & eminet:

Episcopatus Herbipolensis. Das Hochstift Würzburg.

Episcopatus hic olim fuit, & 9
habet adhuc *prærogativas Ducatus*,
in quo sanctus *Kilianus* cum sociis
Colonato & *Totnano* (*Benedictini*
Scoti) sub annum 687. *Gosberto Duce*
Franconia, *fidei Christiana* sementa
jecit. Est hic *episcopatus* ditionibus
amplissimus & fertilitate celeberrimus,
Metropolis est *Herbipolis*
Würzburg / *civitas vallis* & *arce*
munita, cui alterum accedit *for-*
talitium Regiscuria, germanicè
Königshoffen; vix opibus parem
episcopum munerat *Germania*, cu-
jus *armatam manum* & *copias mi-*
litum, ultimum spectavit bellum;
Modernus *Episcopus* ordine *sep-*
tuagesimus quartus est:

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus
D. JOANNES PHILIPPUS,
Episcopus Herbipolensis,

Francia

Franciæ Orientalis Dux.

Natus est hic Celsissimus Princeps ex Illustrissima familia liberorum Baronum de Greyffenklau in Vollrath, Princeps longe clementissimus; cujus clementiam, misericordiam in pauperes, imo sanctam vitæ integritatem encomiastes narrabit posteritas; in Principis hujus clementiam crebro peccantes milites profugi, adagio habuerunt: quod mitissimus hic Princeps voverit nullum profugum militem fune suspendendum; Adagio huic occasionem dedisse videtur benignitas, qua omnibus reis facillime condonat.

Inter suffraganeos secundo perinet episcopus

Aureadensis vulgò Eichstätt.

Das Bisthum Eichstätt.

¹⁰ Episcopatus hujus Metropolis est Aureatum sive Aichstadium, civitas sita ad minorem fluvium Altmühlam, an der Altmühl / primus hic episcopus S. Willibaldus anno 742. modernus & in ordine sexagesimus tertius episcopus est:

Reverendissimus ac Celsissimus

S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. JOANNES ANTONIUS.

In episcopum electus anno 1705. natus ex antiquissima familia liberorum Baronum Knæbell de Eagen Ehlensbogen / Celsissimi hujus Principis œconomiam, qua episcopatum liberavit multo ære alieno, sapient posthumi; præcipue autem

in eo eminet Zelus religionis & animarum, ac insignis clementia in pauperes, prout experti vix tribus ab hinc mensibus peregrini juvenes Scoti, quorum decem ex Scotia Ratisbonam adventantes, ad se perhumaniter invitavit, litteris propria manu ad ipsos scriptis, quos Aichstadium venientes ipsemet pedibus comitatus, ad ecclesias duxit, abeuntibus verò literas foundationis pro juvenum Scotorum seminario extruendo, ad annuos redditus & sustentationem consignavit, ac in suam Clientelam suscepit.

Tertio venit inter suffraganeatus

Episcopatus Wormatiensis.

Das Hochstift Worms.

Situs est hic episcopatus ad Rhenum, curia hujus episcopi est in ipsa urbe Wormatiensi, quæ tamen alias est civitas Imperialis. De episcopatus hujus origine certo nil constat, nisi quod anno 348. ibidem jam fuerit episcopus Victor nomine; olim hic fuisse Archiepiscopatum scribitur, eumque durasse sub hac dignitate usque ad annum 745. quo obiit ultimus Archi-episcopus, Gewillimus. Modernus Præsul & episcopus est:

Serenissimus ac Reverendissimus

Princeps ac Dominus,

D. FRANCISCUS LUDOVICUS.

S. R. I. Princeps & Episcopus Wormatiensis, Episcopus Vratislaviensis Præpositus Elvangelensis, Ordinis

T t 2

Equestris

Equestris Teutonici supremus Magister, Coadjutor Moguntinus. Natus est hic serenissimus Princeps ex Ducibus Palatino Neoburgicis, in episcopum Wormatiensem electus anno 1694.

Quarto inter suffraganeatus Moguntinos recensetur:

Episcopatus Spirensis.
Das Bisthum Speyr.

¹² Civitas Spirensis est quidem Imperialis, sive Imperio immediate subiecta, nihilominus certis juribus & restrictionibus etiam subditur episcopo; de hujus episcopatus origine non constat, nisi quod anno 348. in synodo Colonienfi interfuerit Jessius, episcopus Spirensis. Modernus episcopus est:

Reverendissimus & Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. HENRICUS HARTARDUS.

Natus ex liberis Baronibus de Rolingen, antea ejusdem ecclesiae Decanus, electus die 17. Februarii. 1711.

Quinto pertinet inter suffraganeos.

Episcopatus Argenteratensis.
Das Bisthum Strassburg.

¹³ Civitas haec olim erat immediate subdita imperio, sed anno 1680. ad coronam & regnum Galliae devoluta fuit. De episcopatus hujus origine saltem constat, quod anno 348. concilio Colonienfi interfue-

rit S. Amandus, episcopus Argenteratensis. Modernus episcopatus vero creditur fundatus a Dagoberto I. Francorum Rege, Archiepiscopatu demum Moguntino jure suffraganei creditur subiectus esse tempore Caroli Magni. modernus episcopus Argenteratensis est:

Eminentissimus ac Celsissimus
Princeps ac Dominus
D. ARMANDUS GASTO
DE ROAN.

ab anno 1604. praestit huic episcopatu, estque simul S. R. E. Cardinalis, natus ex illustrissima familia Principum de SOUBISE. Gerit insuper hic episcopus titulum Landgravii Alsatiae.

Sexto, Archiepiscopatus Moguntini suffraganeum se esse factetur

Episcopatus Augustanus.
Das Hochstift Augspurg.

¹⁴ Augusta Vindelicorum est civitas sita ad Lycum fluvium, an dem Lech/ quapropter etiam vicinia vocatur das Lechfeld/ imperio immediate subiecta, in spiritualibus tamen paret episcopo, quamvis civitas & senatus sit ex medietate adiectus confessioni ab ipsa urbe sic dictae Augustanae; episcopatus hujus initium refertur ad tempora Hildeberti II. Austrasiorum Regis, sub annum 590. quo constitutus erat primus episcopus Josimus. habet quidem episcopus etiam palatium Augustae, sed locus aulae ac curiae

curiæ alias est Dillingæ. Sunt quidem Canonici ejusdem ecclesiæ cathedralis Comites & Barones à potiori, habent tamen nihilominus etiam quasdam præbendas Doctorales in eadem ecclesia. Digniora hujus episcopatus monumenta erudite recenset Clarissimus D. P. Carbinianus Kham, Ord. S. Ben. Imperialis ecclesiæ ad S. Udalricum ibidem professus, in libro cui titulus: *Hierarchia Augustana* Modernus episcopus Augustanus est

Reverendissimus ac Serenissimus S. R. I. Princeps ac Dominus, D. ALEXAND. SIGISMUNDUS. Ex serenissima familia Ducum Palatino-Neoburgicorum, electus in coadjutorem anno 1663. denuo autem successit in episcopatu anno 1681. Magnis episcopatus hic tempestatibus erat ab aliquo tempore involutus.

Eodem jure suffraganeorum succedit

Episcopatus Constantiensis.
Das Bisthum Cosnitz oder Constanz.

¹⁵ Constantia vulgo Cosnitz, civitas ad locum Podamicum sita, in spiritualibus subest episcopo. est episcopatus hujus diœcesis & jurisdictio fere amplissima per totam Germaniam, modernus episcopus in ordine ejusdem cathedræ octuagesimus sextus est:

Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus, D. JOANNES FRANCISCUS. Ex perillustri familia liberorum Baronum Schenk de Stauffenberg, electus anno 1704.

Hunc suffraganeatum sequitur alter

Episcopatus Curiensis.
Das Bisthum Chur.

Initia hujus ecclesiæ incerta sunt, ¹⁶ Bucelinus Germaniæ sacrae *part. 1. pag. 3.* eandem fundatam credit ab ipso Apostolo Petro, indeque adhuc adjectam regionem *campum S. Petri.* Episcopatus nomen traxit ab ipsa civitate in qua episcopus aulam & curiam habet, quamvis civitas certis solum limitibus ejus jurisdictioni sit subjecta; Anno 1654. iterum receptus est ad comitia imperii & in senatu Principum sententiam dixit. Modernus est Reverendissimus & celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus, D. ULRICUS VIII. natus est ex perillustri familia Dominorum de Federspiel, electus anno 1692.

Eodem ordine suffraganeorum sequitur.

Episcopatus Hildesienfis.
Das Bisthum Hildesheim.

Initium hujus episcopatus refertur ad annum 822. qui plurimis ¹⁷ hucusque tempestatibus agitatus, T t 3 prout

prout adhuc loquitur memoria belli Hildesienfis inchoati anno 1519. In coadjutorem & episcopum in ordine quinquagesimum sextum electus fuerat

Eminentissimus ac serenissimus
Dux

D. JOSEPHUS CLEMENS,
è Ducibus Bavariæ, Elector & Archi-episcopus Coloniensis, episcopus Ratisbonensis & Leodiensis,

Hunc ordine excipit

Episcopatus Paderbornensis.
Das Hochstift Paderborn.

¹⁸ Initium hujus episcopatus refertur ad annum 780. qui opibus & potentia floret, curia & aula Principis est in arce Neuhauf per mediam horam distante ab ipsa urbe Paderbornensi. Modernus episcopus ordine quadragesimus nonus est

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. FRANCISCUS ARNOLDUS, antea coadjutor sui Domini Cognati, quo mortuo, successit in episcopatu anno 1704. natus est ex perillustri familia liberorum Baronum de Metternich, qui anno 1706. etiam in episcopum Monasteriensem fuit electus; Magnam hujus Celsissimi Principis clementiam loquuntur fideles subditi.

Hunc episcopatum ordine suffraganeorum olim sequebatur:

Episcopatus Halberstadiensis.
Das Bisthum Halberstadt.

Initium hujus episcopatus refertur ad tempora Caroli Magni fundatoris, verum episcopus Henricus Julius in ordine episcoporum quadragesimus quartus ex Domo Brunsvicensi anno 1585. uxorem ducens & anno 1591. omnimodam reformationem induxit. Plurimis inde secutis belli tumultibus & diuturnis tempestatibus, tandem anno 1648. hic episcopatus Domui Brandenburgicæ est cessus & sæcularizatus; habentur adhuc ibi canonici cathedrales utriusque religionis, Catholicæ & Lutheranae, adeoque episcopatus hic ultra annos 60. venit sub titulo & jure sæcularis Principatus,

Ultimo venit

Episcopatus Verdenfis.
Das Bisthum Verden.

Cujus initium refertur pariter ad tempora Caroli magni fundatoris, ad annum 776. adeoque hic episcopatus per annos 872. usque ad annum 1648. stabat sub jure & privilegio ecclesiastico episcopatus, donec in pacificatione Osnabrucenti fuerit sæcularizatus, & sub titulo Principatus cessus coronæ Suevicæ. Ultimus episcopus in ordine quinquagesimus legitur fuisse

FRANCISCUS WILHELMUS
ex Comitibus de Wartenberg, qui
suc-

successive obtinuerat episcopatum Osnabrucensem, Mindensem, Ratisbonensem, ac tandem obiit ut cardinalis anno 1661.

Porro

²¹ Episcopatus Bambergensis, est exemptus, & nulli Metropolitana jure suffraganeatus subicitur, hujus exempti episcopatus initia referuntur in acceptis Henrico II. Imperatori & ejus conjugi Cunigundæ, unde anno 1007. primus ibidem episcopus constitutus erat Everhardus I. antea Henrici Imperatoris cancellarius. Est episcopatus hic abunde ditatus, qui præter territorium episcopale, insignes habet Satrapias 16. in Charintia, ibique suum Vice-Dominum alit.

Episcopatus hic propter dignitatem omnibus reliquis Germaniæ episcopatibus præfertur, utiturque episcopus pallio Archi-episcopali, quoad sæcularia vero privilegia illud eminet, quod in circulo Franconico sit Condirector primarius, *auschreibender Fürst*.

Ut autem hic episcopatus ab omni tempestatum & temporum injuria tanto stare securior, factum est quod à S. Henrico instituta fuerint, quædam Archi-officia huic episcopatu à Principibus Electoribus per suos substitutos subofficiarios præstanda, Electorum

archi-officia autem sunt, quod Bohemus sit Pincerna, ejus subofficiarius est nobilis de Auffaz. Palatinus est Tapifer, sub-officiarius olim erat de Pommersfelden, quo extincto sine hærede masculino, bona ejus ad illustrissimam familiam Comitum de Schœnborn testamentario jure transferunt, an vero ejus officium simul transferit, nondum mihi constat. Saxo est Mareschallus, subofficiarius est de Ebner. Brandenburgicus est camerarius, ejus subofficiarius est Nobilis de Rotenhan. Hic episcopatus Electores habet Vasallos, eis in feudum concedit loca nonnulla, quorum intuitu ad servitia illi tenentur.

In ordine episcoporum Bambergensium 55. est Eminentissimus Elector Moguntinus, electus anno 1693. in ejus autem Coadjutorem anno 1708. die 13. Decembris electus est:

Illustrissimus & Reverendissimus
Dominus,

D. FRIDERICUS CAROLUS,

S. R. I. Comes de Schönborn,
Modernus Imperii Vice-Cancellarius,

§. II.

DE ARCHIEPISCOPO ET ELECTORE
TREVIRENSI.

SUMMARIUM.

1. Refertur initium Ecclesiae Trevirensis. 2. Praefertur Coloniensi, & quae jura ratione hujus praelationis competant. 3. Ejus officiales hereditarii. 4. Audit Primas per Pro-

vinciam Belgicam. 5. Quot fuerint Archiepiscopi & Electores. 6. Recensetur Episcopatus Metensis, 7. Tulensis, 8. Verdunensis.

Alter Germaniae Archiepiscopatus, qui Electorali simul fulget praeminentiâ, est

Electoꝛatus Trevirensis.
Das Erz-Stift und Churfürstenthum Trier.

1. Ecclesiae Trevirensis initia referuntur ad tempora D. Petri Apostoli, quem dicunt quod per *Eugarium*, qui unus ex 70. discipulis salvatoris fuit, *Valerium* diaconum & *Maternum* sub-diaconum, hanc ecclesiam fundaverit. Primum episcopum hujus ecclesiae dicunt fuisse Praefatum S. *Eugarium*, post quem floruerunt ejus successores usque ad *Agricium*, quem *Sylvester* Pontifex Archiepiscopali dignitate donavit. Vide *Masenum epist. annal. Trevirens. lib. 10. p. 279.*

2. Elector Trevirensis Coloniensi praefertur.

1. Quia Gallia, per quam Archicancellarius audit, olim praeferebatur Italiae.

2. Quia jura ecclesiae Trevirensis longe antiquiora creduntur juribus ecclesiae Coloniensis, inter jura Archiepiscopi Electoris Trevirensis refertur, quod sit Archicancellarius per Galliam seu regnum Arelatense, hodie usum exiguum habet.

3. Trevirensi competit ex praescripto *A. B. cap. 4. §. 3.* primum votum in electione Imperatoris.

4. Competit Trevirensi, ut se deat ex opposito & lineali directione versus Imperatoris faciem, grad gegen eines Kaylers Angesicht über. *A. B. cap. 3. §. 2.*

5. Competit Trevirensi, ut in directa diametrali linea ante Imperatorem vel Regem incedat illis solummodo intermediis, qui imperalia vel regalia portant insignia. *A. B. c. 21. 22. 26. §. 4. c. 27. §. 3.* quod nimi-

nimirum est ita intelligendum, an in solennitatibus Cæsari insignia præferantur an non? si illud fiat. Elector Trevirensis ante Imperatorem solus incedit, ita tamen, ut Imperialia insignia ferentes intermedii sint. Posteriori casu Trevirensis immediate Imperatorem præcedit, qui ad latera habere solet, Moguntinum atque Coloniensem Electores, vide *A. B. C. 21. c. 22. c. 26. §. 4.* An Elector Trevirensis habeat illimitatum Privilegium de non appellando, an vero saltim usque ad summam 500. aureorum aliqui dubitant, cum in Comitibus de anno 1653. & 54. reliqui Electores privilegium illimitatum de non appellando sibi renovari curarint, solus Elector Trevirensis autem id neglexerit, & concesserit appellationes à sententiis in petitorio latis, ubi summa 1000. florenorum Rhenensium in auro excessit; Blumius *in process. cam. tit. 46. n. 32.* Sub officiales Archi-episcopatus habet Dominos ab Elz Marechallos, Barones von der Leyen Dapiferos, de Kesselstadt Pincernas, Schmittbergios habet Camerarios.

Denique se vocat Dominum Mosellæ propter confluentiam (Coblentz) ipsi competentem. Specialissimum vero ejus privilegium est, quod omnia feuda imperii in ipso Archi-episcopatu vacantia ad ipsum devolvantur. Besoldus *Thef. Pract. voce Reichs-Lehn.*

Quoad ecclesiastica vero jura, referente Becker *in synopsis. lib. 3. c. 3.*

Archi-Præful Trevirensis audit *Primas* quoad Provinciam Belgicam. In hac sede primo successerunt episcopi 26. usque ad annum 277. sede hac ad Metropolitanam dignitatem evecta post episcopos successerunt Archi-episcopi 45. per annos 671. his tandem successerunt Archi-episcopi simul & Electores triginta novem, per annos 716. modernus est:

Eminentissimus & Serenissimus,
S. R. I. Elector ac Dominus,
D. CAROLUS JOSEPHUS
IGNATIUS.

e serenissima domo Lotharingica, episcopus Osnabrucensis, electus in Archi-episcopum An. 1711. Princeps Elector longe clementissimus, in quo omnes Lotharingici sanguinis virtutes, a sæculis insignes, confluerunt. Ejus suffraganei sunt primo.

Episcopatus Metensis.

Hujus episcopatus initia quidam referunt ad tempora S. Clementis, primi ibidem episcopi, & quamvis hic episcopatus anno 1552. ab imperio fuerit avulsus, nihilominus vigore Instrumenti pacis remansit sub jurisdictione Metropolitana Trevirensi.

Alter suffraganeatus est

Episcopatus Tullensis.

Cujus exordium pariter refertur ad Tempora S. Petri, qui S. Mansuetum

Uu

fuetum primum Tullensem episcopum misisse perhibetur. Qui pariter licet imperio non amplius subfit, remansit nihilominus sub jurisdictione Archiepiscopali Trevirensi, per dictum instrumentum pacis. Idem dicendum est de

Episcopatu Verdunensi.

Qui anno 1552. per Henricum II. Galliarum Regem occupatus, & quoad politica ab Imperio separatus, quoad ecclesiastica vero remansit subiectus Archiepiscopo Trevirensi.

§. III.

DE ARCHI-EPISCOPO ET ELECTORE COLONIENSI.

SUMMARIUM.

1. Habet tertiam ab Imperatore dignitatem. 2. Refertur initium hujus Archi-episcopatus. 3. Recensentur jura & privilegia hujus Archi-episcopatus. 4. Ejus ditioes & territorium quodnam sit. 5. Ejus officiales hereditarii. 6. Episcopatus Monasteriensis initium refertur. 7. Ejus officiales hereditarii. 8. Ejus territorium & ditioes. 9. Episcopatus

Leodiensis, unde dicatur & ejus initium quodnam fuerit. 10. Ejus territorium & ditioes. 11. Episcopi titulus. 12. Initium episcopatus Osna-brucensis. 13. Quidnam conventum circa eundem sit per pacem Osna-brugo Monasteriensem? 14. Quos & quot alat Canonicos. 15. Episcopatus Mindensis,

1. Tertiam ab Imperatore in imperio Romano-Germanico obtinet dignitatem Archi-episcopus & Elector Coloniensis.

2. Hujus sedis initium refertur ad tempora S. Materni, qui primus ibidem episcopus fuisse perhibetur anno post Christum 88. adeo ut ecclesia Coloniensis in suo vigore & flore numeraverit annos 1626. primo igitur Colonia insignis fuit episcopatu, usque ad annum 747.

adeo ut per annos sexcentos quinquaginta novem numeraverit episcopos 24. tandem hæc sedes episcopalis accepit jura Metropolitana & per anno 251. numeravit Archi-episcopos 15. usque dum Archi-episcopi Colonienses anno 998. simul honorati & insigniti sint prerogativa Electorali, & proinde per annos 716. numeraverit Archi-episcopos Electores 48. ad hunc Archi-episcopalem Electoratum per

per Breve Apostolicum habitatus fuit & electus

Eminentissimus ac Serenissimus Elector,

D. JOSEPHUS CLEMENS, Antea episcopus Frisingensis & Ratisbonensis & Ducibus Bavariz.

Hujus Archi-episcopatus Electoralis jura & prerogativa sunt:

3 1. Quod sit Archi-Cancellarius per Italiam.

2. Item secundo loco votum suum proponit in electione Regis Romanorum. *A. B. c. 4. §. 3.*

3. Interdum coronat Imperatorem, nimirum si coronatio fiat in loco sub Archi-diocesi Coloniensi.

4. In sua Diocesi & provincia, & extra provinciam suam, & tota Italia dextrum Cæsaris latus claudit *A. B. c. 3. §. 2.*

5. Ejus subditi privilegiati sunt contra Rotwilense, & alia extranea consistoria, tam in realibus quam personalibus actionibus.

6. Item hodie gaudet privilegio de non appellando illimitato.

7. Inter alios titulos utitur etiam titulo Ducis Westphaliae & Angariae, quas Ditiones munificentia Frederici Imperatoris anno 1180. contulit ecclesiae Coloniensi. *Hermes in Fastis, Jur. Publ. c. 6. §. 9.*

4 Ditiones & territoria Archi-episcopi Electoris Coloniensis sunt:

1. Archi-episcopatus Coloniensis superior & inferior, das Ober- und Unter, Stifft / qui insignes habet Satrapias.

2. Ducatus Westphaliae & Angariae.

3. Comitatus Arensbergensis, qui ab ultimo & fine haerede masculino defuncto hujus nominis Comite fuit Archi-episcopatu venditus anno 1368.

4. Comitatus Hilicrodenfis.

5. Comitatus Hochstettenfis.

6. Civitates Marienstand, Rattig, Rems, Schonstein, Wiser & Zeltlein.

7. Alpen, Gelderdick, Issum, Lidberg, Mensel, Wied, Comitatus Laols.

Officiales Haereditarij sunt: 1. Haereditarius Dapifer est Comes de Manderscheid in Blanckenheim. Haereditarii Mareschalli sunt Comites de Salms in Reifferscheid, Haereditarius Camerarius est Nobilis Raizius de Frenz.

Inter Electoralis hujus Archi-episcopatus suffraganeos 1. venit

Episcopatus Monasteriensis. Das Hochstift Münster.

Hujus episcopatus initia referuntur ad tempora Caroli magni fundatoris ejusdem, circa annum 788. primitus erat hic episcopatus exemptus, sed demum sub annum 1180 factus fuit suffraganeatus Archi-episcopi Coloniensis. Est sane hic episcopatus inter potentissimos Germaniae referendus, imo dubitem: an potentior sit quispiam episcopus Germanus, qui adeo numero-

U u 2

mero-

merosum alit militem, nisi forte Herbipolensis teneret paritatem.

Primum hic fuisse episcopum Ludgerum, quem in ordine episcoporum sexagesimus primus sequitur:

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. FRANCISCUS ARNOLDUS,
Episcopus Monasteriensis & Paderbornensis.

7 Hujus episcopatus officiales hereditarii sunt 1. Barones de Droste, Dapiferi. 2. Barones de Mordien in Falckenhoff, sunt hereditarii Marechalli. 3. Barones de Galen sunt hereditarii Camerarii.

8 Episcopatus hic in Westphalia obtinet Burgraviatum Stromberg. Comitatum Vecht cum insigni civitate Monasteriensi, & plurimis aliis satrapiis ac ditionibus. Ejus fortalitia sunt Coesfeld, Vecht, Meppen, Aarhausen, Alen &c. anno 1671. hic episcopatus alebat 30000. conscriptos milites; unde episcopatus hujus reditus ac Proventus colligere licet.

Alter in ordine suffraganeorum Colonienium est:

Episcopatus Leodiensis.
Das Bisthum Lüttig. oder
Liege.

9 Qui episcopatus nomen suum traxit a Metropoli Leodio, initium autem sumpsit a S. Materno circa annum 101. Sedes episcopalis primo

fuit Tongria, in Tongern, dein Trajecti, & denique Leodium translata. Inter hujus sedis episcopos ordine nonagesimus tertius electus fuit anno 1694.

Eminentissimus ac Serenissimus
S. R. I. Princeps Elector
D. JOSEPHUS CLEMENS,
de quo supra.

Inter Potentissimos Germania¹⁰ episcopatus & Principatus est Leodiensis, equidem inter ditiones suas numerat ingentem hanc civitatem Leodiensem. 2. Fontalitium Huy, in quo episcopus aulam & curiam habet. Marchionatum Franchimontanum, Comitatum Loos, Tongern, & plurimas alias ditiones, adeo ut ad hunc episcopatum spectare communiter dicantur 14. urbes muris circumdatae, 50. Abbatia, 1700. oppida.

Episcopus se scribit Principem¹¹ Leodiensem & Ducem Bovillonium, Prinzen von Lüttig und Herzogen zu Bovillion.

Tertius subest Archi-episcopo Colonienfi suffraganeus

Episcopatus Osnabrucensis.
Das Bisthum Osnabrück.

Qui initium sumpsit sub annum 776. fundatore Carolo Magno, primus fuit episcopus Osnabrucensis Witho, vel Guitho. Post quem in ordine sexagesimus sequitur & electus fuit anno 1698.

Emi

Eminentissimus ac serenissimus
S. R. I. Princeps Elector,
D. CAROLUS JOSEPHUS
IGNATIUS.

Dux Lotharingæ, de quo supra.

13 Quoad hunc episcopatum est advertendum, quod per pacificationem Osnabrugo-Monasteriensem de anno 1648. conventum fuerit, ut in hoc episcopatu alternativè succederent Catholici & Lutherani, adeo, ut mortuo Catholico succedat Lutheranus, & vicissim; Lutheranus tamen eligendus, debet necessario assumi ex domo Brunsvicensi. Regnante autem Lutherano, expeditiones & causæ ecclesiasticæ tractantur per Archi-episcopum Coloniensem.

14 Episcopatus hic canonicos cathedralis alit 25. inter quos hæcenus fuerunt tres Lutherani.

Officiale hæreditarium habet solummodo unicum, quem vocant *Landes-Drosten* / quod officium pertinet ad illustrissimam familiam de Bahe in Barnau.

Inter suffraganeos ultimò venit:

Episcopatus Mindensis.
Das Bisthum Minden.

Initium traxit à fundatore Carolo¹⁵ magno circa annum 708. quam episcopalem sedem primus obtinuit Herimbertus. Ultimus verò episcopus Mindensis, Catholicus & in ordine quinquagesimus nonus erat Franciscus Wilhelmus,

Comes de Wartenberg, qui obiit anno 1648. Qui episcopatus per pacem Westphalicam fuit secularizatus & Domui Brandenburgicæ sub titulo Principatus cum voto & sessione in Imperio, incorporatus.

Post Archi-episcopos Electores S. R. I. olim primus veniebat Archi-episcopatus Magdeburgensis, qui etiam Germaniæ Primas (scilicet in spiritualibus) audiebat; igitur hic referendum censui, quis fuerit & quando sit extinctus.

§. IV.

ARCHI-EPISCOPATUS MAGDEBURGENSIS.

Das Erz-Bisthum Magdeburg.

SUMMARIA.

1. Archi Episcopatus Magdeburgensis quando fundatus, & quid circa eum sit notandum. 2. Notantur quedam circa Episcopatum Merseburgensem.

3. Describitur Episcopatus Naumburgensis. 4. Refertur Episcopatus Misnensis. 5. Brandenburgensis. 6. Havelburgensis.

Uu 3

Sumpfit

¶ Sumpsit exordium circa annum Christi 968. fundatore Ottone magno, quo anno Adelbertus primus Magdeburgensis Archi-episcopus à Joanne XIII. pallium & Archi-episcopalis sedis confirmationem accepit, & ab Hattone Archi-episcopo Moguntino consecratus fuit.

Archi-episcopus in ordine 45. ex domo Brandenburgica filius Joachimi II. Electoris, primus fuisse dicitur, qui à Romana Ecclesia defecit & se Augustanæ confessioni addictum professus est. Cujus successor Joachimus Fridericus ex eadem domo Brandenburgicâ in ecclesiâ Metropolitana Magdeburgensibus & ceremonias augustanas introduxit, teste Hübnero *Introduc. ad quest. Politic. p. 8. de Magdeb. S. 10. fol. 47.*

Tandem per pacem Westphalicam res eo pacto transacta fuit, ut Administrator Saxonicus Augustus Archi-episcopatum Magdeburgensem ad dies vitæ retineret, sed post ejus vitam idem secularizaretur, & sub titulo Ducatus Domui Brandenburgicæ in perpetuum & hæreditario jure cederetur; prout anno 1680. præfatus Archi-episcopatus pleno jure familiæ Brandenburgicæ fuit incorporatus. Hujus Metropolitanæ ecclesiæ primus suffraganeatus erat.

Episcopatus Merseburgensis
sive Martisburgensis.

Das Bisthum Merseburg.

Fundatus primo ab Ottone magno circa annum 968. & ab Henrico II. circa annum 1004. restauratus fuit. Primus in hac Cathedra sedit episcopus Boso. Ultimus verò & in ordine 45. episcopus catholicus ibidem fuit Michael Sidonius, qui ultimus in possessione episcopatus obiit, dum Viennam profectus, ibidem mortuus & in ecclesia S. Stephani sepultus. Hisce temporibus possidetur à domo Saxonica sub titulo Administratoris. Alter suffraganeatus erat

Episcopatus Naumburgensis.
Das Bisthum Naumburg.

Fundatione coxtaneus episcopatus præcedenti, fundatorem habuit eundem Ottonem magnum circa annum 968. cui primus episcopus præfuit Hugo. Ultimus vero catholicus & in serie episcoporum quadragesimus, erat Julius L. B. de Pflug, electus anno 1541. & obiit anno 1564. Episcopus doctrina & prudentia celeberrimus. Post hujus obitum hic episcopatus remansit penes domum Saxonicam, sub titulo Administratoris.

Eodem jure suffraganeatus suberat Metropolitanò Magdeburgensi

Episcopatus Misnensis.
Das Bisthum Meissen.

Eodem authore Ottone magno fundatus, circa annum 968. & primus ibidem

ibidem episcopus fuit Burchardus. Ultimus episcopus qui à fide Catholica defecerat, & Augusto Electori Saxoniae potissimas ditiones hujus episcopatus cesit, erat Johannes Haugwitz, uxorem ducens; & proinde domui Saxonicae hic episcopatus fuit incorporatus. Quartus suffraganeatus erat

**Episcopatus Brandenburgensis.
Das Bisthum Brandenburg.**

5 Fundatore Ottone Magno erectus, circa annum 960. primus ibidem episcopus sedit Dulim, ultimus vero & in serie episcoporum quadragesimus secundus, ex Ducibus de Munsterberg Silesus, mortuus Uratislavii, ubi simul erat praepositus ecclesiae Cathedralis, hoc mortuo episcopatus fuit incor-

poratus domui Brandenburgicae. Ultimus denique suffraganeatus erat.

**Episcopatus Havelbergensis.
Das Bisthum Havelberg.**

Erectus a fundatore Ottone M. 6 anno 946. Primus hujus cathedrae episcopus erat Udo. Ultimus vero & in ordine episcoporum trigessimus sextus, erat Bussio II. ex perillustri familia de Alvensleben, electus anno 1523. obiit Catholicus anno 1548. quo extincto tandem anno 1553. hic episcopatus ad domum Brandenburgicam pervenit.

Extincto autem Archiepiscopatu Magdeburgensi, dignitas primatus est translata in Archi-episcopatum Salisburgensem, ac proinde nunc ordine primus venit:

§. V.

ARCHI-EPISCOPATUS SALISBURGENSIS.

Das Erz-Stift Salzburg.

SUMMARIA.

1. *Archi-Episcopatus Salisburgensis notatur.* 2. *Ejus suffraganeatus Passaviensis.* 3. *Ratisbonensis.* 4. *Frisingensis.* 5. *Brixienfis.* 6. *Gurcon-*

ensis. 7. *Chiemensis.* 8. *Seccoviensis.* 9. *Lavantinus.* 10. *Tridentinus.* 11. *Viennensis.* 12. *Neostadiensis.*

Initium sumpsit sub annum 582. quo S. Rupertus Salisburgi ecclesiam S. Petri, seu futuram sedem E-

piscopi aedificaverat, & demum ad instantiam Caroli Magni huic Episcopatu superaddita fuit dignitas Archi-

Archi-episcopatus, à Leone III. Pontifice & Episcopus Arno primum obtinuit hanc dignitatem Archi-episcopalem anno 798. Insignis prærogativa accedit, quod hic solus imperii Princeps creet alios imperii Principes, scilicet suffraganeos suos. Certe qui Salisburgum considerat, alteram Romam mirabitur. Modernus & in serie Archi-episcoporum quinquagesimus novus, & anno 1705. in coadjutorum electus est.

Reverendissimus ac celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus
D. FRANCISCUS ANTONIUS.
Ex illustrissima familia Comitum de Harrach, antea episcopus Viennensis; hujus Archiepiscopi sedes & curia est Salisburgum, civitas sita ad saltzam fluvium, montibus undique circumvallata, ædificiis & templis splendidissima, quam exornat templum universitatis per Germaniam celeberrimæ; cæterum abundat hic Archi-episcopatus fere omnibus ad humanam sustentationem necessariis, metallis, sale, feris; ut fere deliciarum emporium liceret appellare. Territorium est amplissimum, & præterea bona adhuc possidet in Austria, Stiria, Carinthia.

Appellatur hic Archi-episcopus per Germaniam Primas, quam prærogativam a Magdeburgensi translata obtinuit: & præterea se scribit S. sedis Apostolicæ Legatum natum, quo titulo Gebhardus a Gregorio VII. fuit primum ho-

noratus; denique in comitiis hic Archi-episcopatus alternat ratione directorii cum Archi-ducali domo Austriaca. Inter suffraganeos ab aliquibus numeratur, ab aliis vero in dubium vocatur

Episcopatus Passaviensis. Das Hochstift Passau.

Qui initium sumpsisse perhibetur sub annum 598. Primo ejusdem sedis episcopo Erckenfrido, foundationem vero adscribunt Theodoni III. Duci Bavariz. Episcopus modernus & in serie episcoporum septuagesimus septimus qui defuncto cardinali de Lamberg anno 1712. successit est

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. RAYMUNDUS FERDINANDUS.

Ex illustrissima familia Comitum de Rabbatta, electus anno 1712.

Inter hujus episcopatus officia hæreditaria, Pincernam agit Comes de Lamberg, Marechallum Comes de Nothafft, Camerarium Eques de Aheim, Dapiferum Dominus de Penzenau. Curia episcopi est Passavii, cujus urbis arce munita est Dominus, & præterea ad hujus territorium pertinent:

1. Viechtenstein.
2. Riedenburg.
3. Obernberg, cum pluribus satrapiis in Bavaria. In Austria habet civitatem Mautern, Trubensee, Everding, Amstatten, Ebersberg, Haag, Starenberg, Haffnerszell &c.

Cæte-

Cæterum hic episcopatus pertinet ad circulum Bavaricum. Hunc suffraganeatum subsequitur

**Episcopatus Ratisbonensis.
Das Bisthum Regensburg.**

³ Hunc episcopatum quidam dicunt esse exemptum ab omni jurisdictione Metropolitana, quo etiam in disquisitionem non vocato, primo dicendum est, quod año 470. S. Paulinus huic episcopatu initium dederit; sub annum vero 740. S. Bonifacius hunc episcopatum quasi de novo fundavit & restauravit. In episcopum hujus sedis septuagesimum tertium electus fuit anno 1685.

Serenissimus Baviaræ Dux,
JOSEPHUS CLEMENS.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officarios est Dapifer Comes de Nothafft, Marechallus est Comes de Töring, Pincerna est L. B. de Pfettau, Camerarius est, Eques de Stingelheim. Ecclesiæ cathedralis sunt 12. Canonici capitulares & 12. Domicellares. Huic suffraganeatui succedit

**Episcopatus Frisingensis.
Das Bisthum Freysingen.**

⁴ Qui exordium sumpsit per S. Corbinianum primum Frisingensem Episcopum & Grimoaldum Baviaræ Ducem. Modernus in serie episcoporum quinquagesimus septimus est electus anno 1695.

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOAN. CHRISTOPHORUS.

Ex libris Baronibus Ecker de Küpfing, Princeps plus exornans dignitatem virtute, quam ipse insigniatur à dignitate, qui animam nactus est tanto Principe dignissimam! litterarum scientia excultam, & principali clementia suavissimam.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officiales Dapiferum agit Dominus de Seyboltsdorff, Marechalum Nobilis de Penzenau, Camerarium L. B. de Weix, Pincernam Dominus de Preising in Kopsberg.

Ecclesiæ cathedralis sunt 24. canonici, tum Nobiles tum Doctores. ad territorium Frisingense pertinet ipsa Metropolis, in qua est aula & curia episcopi. 2. Comitatus Ismaning. 3. Comitatus Werdenfels. 4. ditio Bruckrainensis. 5. in Austria huc pertinet Hollenburg, Elzendorff, & Ulmerfeld. 6. in Stiria. Rotenfels, Oberweilen, Bayrischweidhosen. 7. in Tirol Hitig & Insing. 8. ditio Lackensis huic succedit

**Episcopatus Brixienfis.
Das Bisthum Brixen.**

Episcopatus hic in comitatu Tyrolensi situs, exordium hausit circa annum 350. per sanctum Caspianum, qui primam sedem episcopalem Sabionæ fixerat, ibique sedes permanserat per annos 688. quo tempore appellatus fuit episcopatus

X x tus

tus Sabionensis, usque dum Hartwicus episcopus anno 1038. sedem transtulerit Brixiam, unde postmodum hic episcopatus dictus est Brixienfis. Modernus & in serie episcoporum octuagesimus octavus est

Reverendissimus ac Celsissimus

S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. CASPAR IGNATIUS.
ex illustrissima Tyrolensi familia comitum de Kunigl. habet hic episcopatus votum & sessionem in imperio tanquam status imperii immediatus, quamvis etiam certis partibus obtingatur Archi-ducali domui Austriacae.

Inter hereditarios hujus episcopatus officiales est Dapifer Comes de Wolckenstein, Marechallus L. B. de Welsperg, Camerarius L. B. de Voels, Pincerna Comes de Thun. Ecclesiae cathedralis sunt 19. canonici, inter quos etiam Doctores & Licentiati. Caeterum hic episcopatus pertinet ad circulum austriacum. Hunc excipit suffraganeus

Episcopatus Gurcensis.

Das Bisthum Gurck.

Situs in Carinthia, initium traxit a pia fundatrice Hemma conjuge Landravii de Frisach, nata comitissa de Peilstein, & opitulante Gebhardo, Archi episcopo Salisburgensi primus Gurcensis episcopus constitutus fuit Guntherus; modernus & in ordine episcoporum Gurcens-

is quadragesimus primus, qui Ottoni ex Abbate Banthenfi Ord. S. Bened. in Franconia, factus episcopo, & mortuo anno 1705. successerit, mihi non constat.

Hic episcopatus licet à Domo Austriacae eximatur jam ab anno 1548. gaudet tamen voto & sessione in Comitibus Imperii. Vitriarius illustratus, lib. 1. tit. 15. litt. ff. hunc sequitur

Episcopatus Chiemensis.

Das Bisthum Chiemsee.

Situs in superiori Bavaria, curia episcopalis est in arce Chiemsee, sic dicta à lacu, qua circumdatur, initium sumpsit ab Eberhardo II. Archi episcopo Salisburgensi 1215; primus. que ibidem episcopus fuit Rudigerus ab anno 1215. usque ad an. 1233.

Inter suffraganeatus Metropolitanus Salisburgensis etiam venit:

Episcopatus Seccoviensis.

Das Bisthum Seccau.

Qui nomen traxit à monasterio hujus nominis in Styria sito, à quo non procul distat oppidum Leibniz, in quo est curia episcopalis. Fundatorem suum vocat hic episcopatus Eberhardum II. Archi-praeulem Salisburgensem, qui primum ibidem episcopum sub Honorio III. Pontifice praefecit Carolum, anno 1219. Episcopi numerantur ab exordio in hunc usque diem quadraginta,

Eodem

Eodem ordine & jure suffraganeorum venit

Episcopatus Lavantinus.
Das Bisthum Lavant.

9 Situs in inferiori Carinthia ad fluvium Lavant, à quo civitas & curia episcopi nomen trahit, terra vicina nuncupatur das Lavantthal / vallis Lavantinus; Episcopatus autem fundatorem recognoscit Archiepiscopum Salisburgensem Eberhardum II. qui consensu Honorii III. Pontificis eundem extruxit; nec tamen voto aut sessione gaudet in Imperio.

Sub eodem ordine & jure suffraganeorum venit

Episcopatus Tridentinus.

10 Qui suum numerat exordium ab anno Christi 45. quo primus ibidem episcopus fuit ordinatus Jovinus ab Hermagora, Patriarcha Aquileiensi, discipulo Evangelistæ Marci. Nomen autem traxit ab urbe & sede episcopali Tridento, quæ licet sit in confinibus Italiæ, nihilominus ad Tyrolensem Comitatum adhuc pertinet. Tractu temporis hic episcopatus variis ditionibus fuit auctus à Theodosio magno, Carolo magno, Conrado II.

Privilegia hujus episcopatus quod attinet, habet is in Imperio votum & sessionem, sicut anno 1511, inter domum Austriacam &

hunc episcopatum certæ quædam pactiones fuerunt initæ, quarum præcipua puncta sunt: 1. quod episcopus Tridentinus ut immediatus Imperii Princeps, votum & sessionem in Comitibus habere debeat.

2. Quod Archi-Duces Austriæ, dum simul fuerint Comites Tirolis, debeant esse advocati hæreditarii hujus episcopatus. 3. Quod episcopus per suum legatum debeat comparere in comitiis sive conventibus Tirolensibus, & suam quotam conferre ad communem patriæ necessitatem ac subsidium. 4. Quod domus Austriaca vicissim onera Imperio præstanda debeat in se recipere. Inter hujus episcopatus hæreditarios officiales, Marefchallus est L. B. de Firmian, Princer-na est Comes de Thun. Modernus & in ordine episcoporum centesimus sextus, electus anno 1696, est

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. JOANNES MICHAEL.
Natus est ex Tyrolensi familia Comitum de Spaur & Vallör.
Ulterius venit in ordine suffraganeorum:

Episcopatus Viennensis.
Das Bisthum Wien.

In civitate & Metropoli Archiducum Austriacorum est erectus episcopatus, qui episcopus tamen nullam exercet jurisdictionem nisi mere ecclesiasticam, & ut credibile

bile videtur, episcopus aulicus five domesticus Augustissimi Imperatoris; Interim donatus est à sua Majestate Imperatoria titulo Principis Imperii, quin tamen votum aut sessionem habeat. Moderni cognomen est RUMMEL, olim in aula gloriosae recordationis Josephi I. Imperatoris gratus.

Ultimo venit inter suffraganeos 12 Salisburgenses

Episcopatus Neostadiensis.
Das Bisthum von der Wienerischen Neustadt.

Modernus est natus ex illustrissima familia Comitum de Buchain-Schönborn.

§. VI.

ARCHI-EPISCOPATUS BREMENSIS.

Das Erz-Bisthum Bremen.

SUMMARIA.

1. *Archi-Episcopatus Bremensis ortus & progressus recensetur.* 2. *Recensetur Episcopatus Lubecensis.* 3. *Episcopatus Schleswicensis qualiter ortus & extinctus fuerit?* 4. *Ratze-*

burgense exordium & suppressio describitur. 5. *Schwerinensis ortus & interitus.* 6. *Idem refertur de Lebusensi.* & 7. *de Caminensi Episcopatu.*

1. Archi-episcopatus hic erectus fuit ab initio in episcopatum, fundatore Carolo Magno, circa annum 785. primusque ibidem episcopus fuit Willehardus; tandem anno 848. sub Ludovico Germanico episcopatus Hamburgensis & Bremensis fuerunt uniti in unum Archi-episcopatum, & se scribebat Archi-episcopum Hamburgensem, usque dum anno 858. Ansgarius se solum Archi-episcopum Bremensem scribere inceperit. Ultimus Archi-episcopus in ordine 42. Catholicus erat Christophorus e Ducibus

Brunsvicensibus, eratque simul Episcopus Verdensis, qui obiit anno 1558. Sepultus in ecclesia cathedrali Verdensi, cui successit prædefuncti Germanus frater Georgius, qui primus fuit amplexus confessionem Lutheranam. Tandem anno 1648. per pacem Westphalicam hic Archi-episcopatus fuit secularizatus una cum vicino episcopatu Verdensi, & sub titulo ducatus fuit coronæ Suevicæ cessus, ita ut duo capitula Bremense & Hamburgense nullum amplius habeant jus eligendi aut postulandi. Hujus Archi-

Archi - episcopatus suffraganeus
erat

Episcopatus Lubecensis.
Das Bisthum Lübeck.

2 Primitus fundabatur ab Ottone I. Cæsare Saxone episcopatus Oldenborgensis in ducatu Holsatiæ, circa annum 952. primusque episcopus Oldenborgensis erat Marco, qui episcopatus in suo persistebat vigore per annos 210. usque dum Oldenborgum fere in acervum lapidum fuerit redactus; quapropter episcopatus Oldenborgensis translatus in urbem Lubecensem. Duodecimus & ultimus episcopus Oldenborgensis & primus Lubecensis erat Geroldus qui obiit an. 1162. Ultimus episcopus catholicus & in ordine episcoporum Lubecensium 27. erat Henricus III. cognomento Buchholz, qui obiit anno 1535. primus autem confessionem Lutheranam introduxit & amplexus est, Detlevus episcopus Lubecensis, ex familia de Reventlau.

Per pacem Westphalicam etiam hic episcopatus prope fuisset omnino secularizatus, & domui Holsatiæ hæreditarie cessus, nisi Johannes X. tunc temporis episcopus licet Catholicus, episcopatum conservasset; in cujus protectionis recognitionem, capitulum Lubecense episcopo promiserat, quod post ejus obitum adhuc sex successores episcopos ex domo Holsatiæ velit eligere. Adeoque in hac ecclesia adhuc resi-

dui Canonici habent jus eligendi episcopum, & expleto ac expirante pacto ratione domus Gottorpicensis, quin rursus succedendi jus devolvatur ad catholicos, non est dubitandum, Alter nunc sequitur suffraganeus

Episcopatus Silesvicensis.
Das Bisthum Schleswig.

Qui initium hausit circa annum 946. cujus foundationem aliqui adscribunt Ottoni Magno, alii Haraldo VIII. tribuunt. Primus ibidem episcopus erat Marco, antea Ottonis Magni cancellarius. Ultimus & in serie episcoporum 35. Catholicus episcopus erat Godeschalcus de Ahlesfeld, electus anno 1509. & mortuus anno 1541. qui usque ad agonem fortis in fide persistit, licet idcirco multis agitatus hostium impugnationibus. Primus vero Lutheranus episcopus successit Tilemannus de Hussen. Tandem Fredericus II. Rex Daniæ episcopatum occupavit, & redditus episcopales camerae suæ applicavit, canonicatus tamen remanserunt, & a domino territoriali conferuntur. Alter succedit suffraganeus

Episcopatus Ratzeburgensis.
Das Bisthum Raseburg.

Nomen sortitur ab urbe ejusdem nominis, fundatorem vero habuit Adelbertum Archiepiscopum Hamburgensem, circa annum 1058.

Xx 3

primus-

primusque ibidem episcopus fuit S. Aristo. Ultimus ad agonem usque catholicus, & in ordine trigessimus episcopus erat Christophorus de Schulenburg; ejus successor Christostophorus II. e ducibus Mecklenburgensibus, se Lutheranum professus, & primus confessionem Lutheranam anno 1566. in ecclesiam cathedralem Ratzeburgensem introduxit. Tandem per pacem Westphalicam hic episcopatus, uti etiam Schwerinensis Adolpho Friderico Duci Schwerinensi jure hæreditario & cum voto ac sessione in comitiis fuerunt cessi, & insuper canonicatus utriusque ecclesie extincti. O deploranda Germania! Alter subsequitur suffraganeus,

Episcopatus Schwerinensis.
Das Bisthum Schwerin.

5 Exordium hausit circa annum 1058. ab eodem Adelberto Archiepiscopo Hamburgensi, de quo paulo ante dictum est; primi tres episcopi domicilium habuerunt Mecklenburgi, donec tertius episcopus dictus Benno sedem transferretur Schwerinam; curia tamen episcopalis iterumque vigeat in Butzow. Primus ibidem episcopus erat Joannes, Natione Scotus, qui Schwerinensi ecclesie præfuit annis octo. Ultimus episcopus catholicus & in serie episcoporum trigessimus quartus, erat Petrus Wolckovius, cujus successor no-

mine magnus ex Ducibus Mecklenburgensibus, primus fuit amplexus confessionem Lutheranam, eamque per totum episcopatum introduxit, & tandem anno 1543. uxorem sibi elegit. Hic episcopatus per pacem Westphalicam secularizatus & hæreditario jure, cum voto & sessione in Comitiis sub titulo Principatus fuit cessus Ducibus Schwerinesibus. Hunc ordine excipit suffraganeus

Episcopatus Lebusensis.
Das Bisthum Lebus.

6 Nomen traxit ab urbe & curia episcopi, quæ sita est in intermedia Marchia ad Oderam fluvium; initium verò sumpsit à fudatore Miecislao I. qui primus fuit Christianus regens Polonia, circa annum 962. Primus hujus cathedræ episcopus fuit S. Stephanus. Hic episcopatus ab anno 1608. est incorporatus Electoratu Brandenburgico. Huic succedit suffraganeus

Episcopatus Caminensis.
Das Bisthum Camin.

7 Episcopatus hujus initium ex eo profuit, quod Julini in Pomerania circa annum 1128. fuerit institutus episcopus nomine Albertus, in Franconia natus, qui obiit anno 1158. sub cujus successore Danis Julinum devastantibus, episcopatus fuit Caminum translatus, quo tempore Dux Pomeraniæ suam arcem Caminensem episcopo in curiam obtulit,

obtulit. Ultimus ad agonem usque constans catholicus, & in serie episcoporum Caminensium vigesimus quintus erat Erasmus nobilis de Mannteuffel. Tandem per pacem Westphalicam hic episcopatus fuit secularizatus, canonicatus & præbendæ cathedrales extinctæ, ac omnia Domui Brandeburgicæ hæreditario jure cessa.

§. VII.

DE ARCHIEPISCOPATU VESUNTINO.

SUMMARIA.

1. *Archi-Episcopatus Vesuntinus describitur.* 2. *Ejus suffraganeus Basileensis.* 3. *Lausannensis.* 4. *An pax religiosa & instrumentum pacis Westphalicæ obstringat Catholicos, ubi*

refertur fundamentum partis negantis. 5. *Ponuntur rationes sententiæ affirmantis.* 6. *Quid hac sententiæ posterior respondeat ad argumenta opposita?*

1. Archi-Episcopatus Vesuntinus, germanis Bisanz / gallis Besaçon, situs est in Comitatu Burgundiæ, quæ a Gallis dicitur Franche Comté, & initium traxisse perhibetur à S. Lino circa annum Christi 54. qui S. Petro in Pontificatu postmodum successit. Hic episcopatus in pace Neomagensi coronæ Gallicæ fuit celsus, Archi-episcopus tamen est adhuc immediatus S. R. I. Princeps, qui etiam post dictam pacem Neomagensem per suum legatum comparuit in comitiis Ratisbonensibus. Modernus & in serie Archi-episcoporum nonagesimus est Franciscus Josephus ex familia de Grammont. Hujus Archi-episcopatus primus suffraganeatus est

Episcopatus Basileensis.
Das Bisthum Basel.

Initium traxisse fertur circa annum 237. a S. Pantalo primo ibidem episcopo; modernus & in ordine episcoporum septuagesimus est Reverendissimus ac Celsissimus S. R. I. Princeps ac Dominus, D. JOHANNES CONRADUS, ex perillustri familia de Reinach, electus anno 1705. Nuncupatur hic episcopatus ab urbe Basilea, exinde, quia episcopi ante hac ibidem residerunt; nihil autem juris in hanc civitatem episcopo competit moderno tempore. Episcopi residentia & curia est Bruntruti. Canonici cathedrales sunt 17. estque capitulum Felsbergæ in Salzgau.

Inter hæreditarios hujus episcopatus officiales, Dapifer est eques de Schönau, Marechallus est nobilis

lis de Ebtingen, Camerarius est nobilis de Reichenstein, Pincerna est nobilis de Bährenfels, supremus Culmiæ præfectus est eques de Rotberg. Huic ordine succedit

Episcopatus Laufannensis.
Das Bisthum Lausanne.

3 Nomen hausit ab urbe Laufanne sita in Helvetia ad locum Genevensen, sub Cantone Bernensi. Initium autem traxit circa annum 500. a primo ibidem episcopo Prothasio. Episcopi semper residerunt in præfata urbe, usque dum civitas hæc anno 1553. a fide catholica defecerit, quapropter episcopi sedem suam Friburgum civitatem adhuc catholicam transtulerunt. Quisnam sit modernus mihi non constat. De tertio episcopatu suffraganeo, hic meminisse supervacaneum arbitror, quia de episcopis imperii statibus scribere, statueram, reliquos igitur Germaniæ episcopos qui non sunt principes imperii hic sileo. Quoniam vero plures in Germania episcopatus & ecclesiæ sunt secularizatae ac extinctæ, per varias pacificationes, hinc celeberrima hic poterit moveri controversia:

4 *An pax religiosa, & instrumentum pacis Westphaliæ quoad articulum quintum & septimum, Cæsarem & status imperii catholicos obstringat, ac licite sint inita?*

Pacificationem hujusmodi ceu illicitam ac juribus omnibus ad-

versam, plurimi serio damnarunt, inter quos eminuit Ernestus Eusebius, qui author judicium theologicum de pace religiosa conscripsit, ac propugnavit: Cæsari ac orthodoxæ Germaniæ pacem illam, quam in comitiis Monasteriensibus Protestantes desideraverant, salva conscientia pangi non posse, ex fundamentis sequentibus:

Primo: Quia Pax religiosa est perpetua, adeoque extenditur ad illum etiam casum, quo hæresis tolerari nec potest nec debet. Ergo cooperatur hæresi saltem indirecte! Verum etiam cessante circumstantia necessitatis publicæ, tenentur principes jure divino & humano castigare hæresin, quia tenentur jure divino & humano castigare & reprimere scelera atrociora; ergo si tolerant tunc hæresin, indirecte cooperantur hæresi, quia malum permittere, cum tolli possit ac debeat, est indirecte cooperari malo.

Confirmatur. Pax religiosa extenditur quousque de religionis articulis partes amice convenerint, ergo moraliter ex perpetua, quia igni citius miscebitur Oceanus, quam error atque veritas fœdere jungantur, ac in placitis fidei catholici & protestantes conveniant.

Deinde possunt Protestantes compositionem amicam tunc quoque refugere, cum potentia eorum detumuit. Ergo extenditur pax religiosa ad illum etiam casum, quo sublata est circumstantia necessita-

tis publicæ. Adeoque cooperatur hæresi saltem indirecte. Imo pergunt

Secundo: Pax religiosa æquat Protestantes Catholicis tribuit Principibus Imperii potestatem reformandi, atque adeo augendi hæresin, concedit Principibus jus introducendi hæresin in ditiones suas, reclamantibus licet episcopis & obnitentibus subditis, dat hæreticis jus & actionem ad retinenda vindicandave spolia injuste Catholicis erepta, imponit necessitatem Cæsari defendendi Protestantes in juribus & bonis injustè acquisitis. Ergo directè cooperatur Aatholicis, quia his præstat authoritatem Juris publici, & ordinatur ad stabiliendam, defendendam, atque augendam Protestantium erroream doctrinam.

Tertio ajunt quod pax religiosa patrocinetur actioni criminosa, dum compellit subditos ad deficiendum a fide, vel emigrationem ex patria, quæ est actio ex se criminosa.

Quarto: Pax religiosa imponit necessitatem subditis aut amplectendi Aatholicismum, aut migrandi; ergo exponit subditos periculo perversionis, quia multi amicam carnem religionem amplecti malunt, quam duram exilii sufferre legem.

Quinto: Pax religiosa suspendit jurisdictionem ecclesiasticam, cedit Protestantibus bona ecclesiastica sine autoritate Pontificis,

renuntiat constitutionibus paci huic adversis; adeoque usurpat potestatem alienam, quia actus hi omnes limites excedunt potestatis politicæ.

Sexto: de fide catholica nihil statuere potest Princeps politicus. Ergo neque de Protestantibus; quia oppositorum eadem est ratio & doctrina; adeoque decernere non potuit Cæsar sintne Protestantes puniendi an tolerandi.

Septimo: Cæsar vi juramenti tenetur defendere religionem catholicam, tueri jura ecclesiæ, castigare & extirpare hæreticos. At qui huic juramento adversis frontibus repugnant articuli pacis religiosæ, adeoque etiam repugnant obligationi Cæsaris.

Octavo: Electus Imperator jurejurando promittit, quod in omnibus tum necessitatibus tum utilitatibus protegere velit Pontificem. At vi pacis religiosæ tenetur defendere hostes Pontificis. Ergo pax religiosa adversatur jurejurando Cæsaris.

Nono: Episcopi tum consecrantur, jurejurando se obstringunt, quod conservare, defendere, ac promoveri velint Jura Sedis Romanæ & Ecclesiæ. At dum pacis articulis subscribunt, obligant se ad contraria, adeoque contraveniunt juramento suo.

Altera sententia opposita priori defendit, quod pax religiosa S. R. I. prout defecto constituta fuit anno 1555. & anno 1648. sit licita & valida.

Yy

Probant

Probant 1. ex eo, quod si historiam consulamus, etiam deprehendamus in eum calamitatis statum devenisse orthodoxam Germaniam, ut aut migrandum fuerit Catholicis, aut bona quaedam ecclesiastica cedenda Protestantibus, ac plena securitas pacto publico illis concedenda. Ergo inferunt, potuisse Casarem, potuisse reliquos Principes necessitati cedere, ac malum minus permittere, ut vitarent majus malum; potuisse etiam bona quaedam ecclesiastica permittere Protestantibus, ne universa eriperentur, & Protestantes in parte quadam tolerare, ne religio catholica in toto imperio interiret.

Probant 2. Quando dua mala ingruunt & circumstantia emergunt, ut cavere utrumque sit impossibile, licite minus permittitur, ut evitetur majus; quia quando duo mala ingruunt, & cavere utrumque est impossibile, permissio minoris non est libera sed necessaria, quia malum minus certo eveniet, cum imbibatur in majori, ergo permissio minoris mali evidenter est licita, quia implicat permissionem necessariam esse illicitam.

Confirmatur. Implicat permissionem necessariam esse liberam. Ergo implicat permissionem necessariam esse illicitam, quia omnis permissio illicita est libera. Item implicat permissionem necessariam esse interdictam, quia quod vitari non potest, frustra interdicatur, adeoque implicat, permissionem ne-

cessariam esse illicitam. At quando duo mala ingruunt, & cavere utrumque est impossibile, permissio minoris mali est necessaria, quia malum illud eveniet, five toleretur five non, ergo implicat permissionem ejus esse illicitam.

Probant 3. Quando mala quaedam injuria temporum redduntur necessaria, & majus vitari potest, si permittatur minus, debet sub peccato hoc permitti, ut vitetur illud. Atqui ante pacem religiosam mala quaedam reddebantur necessaria, & majus (scilicet omnimoda subversio Catholicorum) vitari poterat, dum permitteretur minus, scilicet illa, de quibus Pax religiosa fuit conclusa. Ergo Imperator & status Catholici in conscientia tenebantur permittere minus malum in pace religiosa contentum. Major patet ex eo, quando majus malum vitari potest, si permittatur minus, vitatio majoris mali est libera, ergo cadit sub obligationem, quia quando malum libere vitari potest debet vitari.

Confirmatur 1. Si quis ponat se necessario spoliandum vel occidendū, data optione, spoliari in hoc casu non est liberum, sed occidi aut servari: ergo si minus malū quis eligat, id physicè permittit, non moraliter, mortem verò liberè declinat; ergo tenetur declinare, quia quando malum liberè vitari potest, debet vitari.

Confirmatur 2. Quando mala quaedam ingruunt, & necessitas emergit permittendi vel aliqua vel omnia

omnia, si minora permittantur, videntur majora, si minora non tolerantur, tamen eveniunt, & cum his majora ergo necessitati stulto conatu oblectatur, quisquis mala illa minora sustinet impedire, cum evitari nequeant; adeoque tenetur illa permittere, ne majora succedant.

Probant 4. Quando duo mala ingruunt & necessitas emergit permittendi vel alterutrum vel utrumque in perpetuum, potest & debet alterutrum permitti in perpetuum, ne utrumque in perpetuum nos torqueat. Atqui in casu utriusque pacificationis ingruerat necessitas permittendi utrumque vel alterutrum in perpetuum, scilicet aut Protestantes aut omnimodum fidei Catholicæ in Imperio interitum. Ergo. prob. maj. Quando necessitas emergit permittendi malum vel alterutrum vel utrumque in perpetuum, permissio alterutrius non est libera, sed necessaria, adeoque culpa vacua, permissio utriusque verò est libera, adeoque culpæ obnoxia. Ergo potest & debet unum seorsim permitti in perpetuum, ne utrumque in perpetuum immineat.

Probant 5. Bona ecclesiastica possunt permitti A catholicis si ad securitatem religionis catholicæ & pacem obtinendam id videatur necessarium. Atqui tempore pacificationis vel maxime videbatur necessarium ad securitatem fidei catholicæ, & pacem obtinendam, bona

ecclesiastica permitti A catholicis. Ergo poterant permitti. Prob. maj. Ratio naturalis suadet, ut mala minora permittantur, ne majora succedant, Atqui minus malum est bona ecclesiastica permitti Protestantibus, quam religionem catholicam periclitari. Ergo ratio naturalis suadet, ut bona ecclesiastica permittantur protestantibus, si ad securitatem fidei catholicæ & pacem obtinendam, id videatur necessarium.

Confirmatur 1. Muri moribus sunt postponendi, neque enim redemptor noster mortem obiit pro muris, ac ut ditaret ecclesias, sed pro animabus, adeoque exemplo suo nos docuit, vel unicam animam esse multis divitiis præponendam; ergo si periculum versetur judicio prudentum inevitabile, perdendi multas animas, nisi bona quædam ecclesiastica dimittantur protestantibus, possunt hæc dimitti, ut illæ conserventur.

Confirmant 2. Si Respublica in eas redigatur angustias, ut carendum sit aut religione catholica aut muris & bonis ecclesiasticis, præstat illam videre catholicam sine muris, quam cum sumptuosissimis ædificiis & bonis splendidissimis acatholicam. Ergo si Respublica in eas redigatur angustias, ut carendum sit aut religione catholica, aut muris & bonis ecclesiasticis, possunt hæc dimitti, ut illa conserventur; quia licet permittitur minus malum, ut evitetur majus.

Yy 2

servari

Probant 6. Quando fides catholica & animæ periclitantur, ac aliter fervari nequeunt, quam si defensio negetur fundis ecclesiasticis, illam intermittere non potest tantum, sed etiam tenetur Cæsar. Atqui illis imperii calamitatibus quibus ante pacificationes initas fides catholica & animæ periclitantur, aliter fervari non poterant residua, nisi defensio negetur fundis ecclesiasticis. Ergo, prob. maj. quia Cæsar tanquam supremus advocatus & protector ecclesiæ, tenetur animas potius defendere, quam fundos, pro illis enim non istis sanguinem suum exhaustit Christus, adeoq; exemplo suo nos docuit, omnia perdenda esse quæ fuerint necessaria, ut beneficium sanguinis illæ recipiant. Ergo dato, quod animæ ita periclitentur, ut aliter defendi nequeant, quam si defensio fundorum relinquatur, hanc defensionem tenetur Cæsar relinquere, quia majus est malum perdi animas, quam fundos relinqui indefensos. Unde si fundos, si pecunias, si fortunas Cæsar præponat animabus, ac illas protegat has negligat, gravi peccato se obstringit.

Confirmatur. Imperatori non licet habere voluntatem defendendi bona ecclesiastica, si hæc ipsa defensio vergat in perniciem ecclesiæ, quia non licet bona caduca defendere cum pernicie religionis. Ergo si circumstantiæ emergant, ut bona ecclesiastica aliter defendi ne-

queant, quam cum pernicie religionis catholicæ, defensionem tenetur intermittere, quia in circumstantiis talibus, defensio illorum redditur intrinsece illicita, utpote cum periculo moraliter certo perdendi fidem catholicam.

Probant 7. Quando est periculum judicio prudentum inevitabile, perdendi omnia bona ecclesiastica in Imperio, nisi pauca quædam tradantur A catholicis, ad traditionem hanc non desideratur auctoritas Pontificis, quia auctoritas frustra requiritur ad id, quod vitari non potest; sed quando est periculum moraliter inevitabile perdendi omnia bona ecclesiastica, nisi pauca quædam tradantur & permittantur A catholicis, permissio paucorum vitari non potest, quia si permittantur si non, perduntur; ergo ad traditionem hanc frustra requiritur auctoritas Pontificis. Lex siquidem necessitatis est fortior omni lege Pontificia, quia in canonicis dispensare potest Pontifex, in lege necessitatis nemo potest.

Probant 8. Quando bello fidei catholicæ pernicioso finis imponi aliter non potest, quam si bona ecclesiastica permittantur A catholicis, permissioem neque summus Pontifex neque alius licite impedire potest, nemo enim potest impedire defensionem & conservationem fidei catholicæ. Ergo dato quod hæc aliter conservari nequeat, quam si bona quædam ecclesiastica permittantur hæreticis, permissioem

ne-

neque Pontifex neque alius potest impedire; Omnis enim potestas atque authoritas ad ædificationem concessa est, non ad destructionem.

Confirmatur 1. Ipso jure divino jubentur principes conservare religionem catholicam, ergo si ad finem hunc obtinendum sit necessarium, bona quædam ecclesiastica permittere A catholicis, permissionem neque Pontifex neque alius licite potest impedire.

Confirmatur 2. Ecclesia plus juris non habet in bonis ecclesiasticis, quam concesserint Principes & Domini sæculares, quia omnia bona quæ de facto possidet Ecclesia fuerunt aliquando sæcularia. At neque principum neque privatorum authoritas tendit ad destructionem religionis. Ergo neque principes neque privati potuerunt ita donare Ecclesiæ, ut revocare illa non liceat, si revocatio iudicio prudentum, censeatur necessaria ad conservationem ecclesiæ & religionis catholicæ.

Confirmatur 2. Quando privatus fundum donat ecclesiæ, & donationem confirmat princeps, ac in gratiam ecclesiæ cedit eminente suo dominio, voluntas & principis & privati hanc tacitam conditionem habet imbibitam: *nisi donatio futura sit perniciofa Ecclesiæ & fidei Catholica.* Ergo si circumstantiæ emergant, ut incipiat esse periculosa Ecclesiæ, poterit à principe retractari.

Probant 9. Quando est periculum iudicio prudentum inevita-

bile perdendi religionem catholicam in toto imperio, nisi in parte quadam A catholicis tolerentur, illi non tantum possunt sed etiam debent tolerari; quia quando mala quædam ingruunt, & majus vitari potest si permittatur minus, debet sub peccato hoc permitti, ut vitetur illud; quia jure natura tenemur unum potius e duobus malis permittere, quam utrumque. ergo quando periculum imminet, perdendi religionem catholicam in toto imperio, nisi A catholicis tolerentur in parte quadam, debent sub peccato tolerari, quia minus est malum in parte quadam tolerari A catholicos, quam totum imperium induci in discrimen.

Confirmatur. Omissio rei impossibilis & permissio rei necessariæ evidenter non est obnoxia peccato, quia libertate caret. At quando necessitas emergit tolerandi acatholicos vel in toto imperio vel in parte quadam, defensio fidei catholicæ in toto imperio est impossibilis, & permissio acatholicorum in parte quadam est necessaria; ergo in talibus circumstantiis omissio illius & permissio horum evidenter non est obnoxia peccato. Unde dum acatholici permittuntur in parte quadam imperii, ne totum perdat, non permittuntur libere & moraliter, sed physice tantum, religio autem catholica libere vindicatur ab interitu.

Probant. 10. Licet quandoque catholicos pacto publico permit-

tere in perpetuum. Ergo dictæ pacificationes fuerunt licite initæ. Prob. antec. Licet acatholicos pacto publico permittere ad tempus, Ergo etiam quandoque in perpetuum; ideo enim licet prius, quia possunt emergere circumstantiæ, ut iudicio prudentum videatur certum, difficultates & mala publica, intra tempus illud non desitura; at possunt etiam emergere circumstantiæ, ut iudicio prudentum videatur certum, angustias, difficultates & mala publica civiliter in perpetuum duratura; ergo si licet acatholicos pacto publico ad tempus permittere, licebit etiam quandoque in perpetuum.

Confirmatur. Acatholici possunt permitti ex gravi causa; quod si causa illa duratura credatur tribus annis, permitti possunt triennio; Ergo si causa illa duratura credatur in perpetuum, permitti possunt in perpetuum; quæ enim triennio licite permittuntur, si causa aut necessitas decennio perseveret, permitti possunt decennio, vel omnino in perpetuum, si iudicio prudentum necessitas duratura credatur in perpetuum.

Concludit secunda sententia secundo: quod securitate perpetua acatholicis semel promissa, non liceat Cæsari incautos opprimere, tametsi circumstantiæ emergant, ut possint opprimi. Probant exinde, quia Cæsar tenetur sub mortali minus malum permittere, ne majus malum emergat. At minus est ma-

lum acatholicos inermes ab armato Cæsare tolerari, quam contra fidem datam deleri; partim quia possunt acatholici vires resumere & impetum remoliri in catholicos, partim quia non potest Imperator incautos opprimere, quin gloriam amittat fidelitatis, & ignominiam incurrat infidelitatis, quod malum est gravissimum, & summe perniciosum reipublicæ, quia si sciant hæretici, fidem datam ab armato Cæsare frangi posse, omnia potius susque deque vertent, quam ut in pacem subdolan & religioni suæ perniciosam consentiant.

Confirmatur. Est evidenter minus malum acatholicos inermes tolerari a Cæsare armato, quam bellum imperio & religioni catholice perniciosum perducere ad finem non posse. At si liceret Cæsari armato acatholicos inermes contra fidem datam opprimere, facile possent emergere circumstantiæ, ut bellum imperio & religioni catholice perniciosum perducere ad finem non posset, quia si acatholici armis prævalidi & viribus superiores, scirent fidem datam a Cæsare potentiore frangi posse, centies potius imperium & religionem catholicam everterent, quam ut articulis fraudulentæ pacis incaute subscriberent. Ergo tenetur Cæsar potentior inermes tolerare potius acatholicos, quam delere, dato quod securitatem perpetuam pacto publico illis promiserit.

Con-

Confirmatur 1. Quando ex licentia aliqua plus mali sequitur quam boni, in ordine ad statum felicem humanam reipublicam, manifeste sequitur, licentiam illam non dari; quia quod non expedit licere in ordine ad statum felicem reipublicam humanam, evidenter est illicitum. Sed ex licentia frangendi fidem datam acatholicis & opprimendi inermes, plus mali sequitur quam boni, in ordine ad felicem statum reipublicam humanam, quia ita e medio tolluntur pacta publica, bella redduntur immortalia, ac religio catholica exponitur discrimini; quæ mala utique sunt tanta, ut licentiam illam natura debuerit adimere. ergo solide concludendum, licentiam illam non dari. Neque huic sententiæ deest, quod respondeat ad argumenta primæ & contrariæ sententiæ. Et quidem

Ad Primum respondet: illam perpetuitatem non esse divinam aut metaphysicam, sed humanam esse & fluxam; imo ex *dd.* acatholicos pacto publico in perpetuam permitti posse, si circumstantiæ emergant, ut prudenter credi possit, angustias, difficultates & mala publica duratura civiliter in perpetuum. Verum etiam esse, inquitur quod principes tenentur reprimere & punire acatholicos, si punitio non sit noxia reipublicæ & religioni C. si sit noxia N. quemadmodum noxia foret, si liceret sumere pœnam de acatholicis, quibus securitas perpetua pacto publico promissa

fuit; tollerentur enim e medio conventiones publicæ, cum ingenti detrimento reipublicæ, cuius interest, ad manus habere media, quibus bellum, imperio aut ecclesiæ perniciosum, perduci ad finem possit.

Ad secundum respondet, plus non probari, quam pacem religiosam cooperari acatholicis saltem physice, non vero cooperari moraliter, cum mala quæ recenset argumentum, vitare fuerit impossibile, adeoque non liberum; concursus physicus autem si moralis desit, culpa vacat. DEUS enim ad omnes actiones nostras, etiam peccaminosas, concurrat physice, nec tamen author peccati proclamatur, quia ad ejus moralitatem non concurrat. Similiter qui pecunias mutuas accipit ab usurario, physice concurrat ad pravitatis usurariæ exercitium, nec tamen culpæ arguitur, quia ad moralitatem culpæ non concurrat. Et quidem ad singulos argumenti articulos respondet dicendo: 1. Quod pax religiosa omnino possit abstergere infamiam ejusque effectus autoritate humana introductos, cum acatholicos admitti ad dignitates, ad testimonium dicendum in judicio, non sit malum intrinsece, sed possit quandoque induere rationem boni; posito enim, quod utilius sit ecclesiæ, viam illis ad honores esse apertam quam occlusam, in utilitatem publicam peccaret Princeps, si portam dignitatum temere

temere illis occluderet. 2. Jus reformandi, quod attinet, illud si penitius inspiciamus, ordinatur non tam ad acatholicos augendos quam ad ecclesiam catholicam reducendos; nam de facto paucos reperimus Principes imperii, qui defectere possint a religione catholica ad confessionem Augustanam, quia Principes mitra insignes, protinus amittunt dignitatem suam, si in castra transeant acatholicorum, multos vero reperimus Principes acatholicos, quos ad ecclesiam catholicam reversuros prudenter speramus; unde verosimilius est, fore, ut quidam Principes hæretici convertantur, quam ut catholici deficiant. Denique negant jus reformandi vigore pacis religiosæ concedi acatholicis, non enim conceditur, sed quod per violentiam suam jam ante sibi arrogaverant, limitatur potius, ac in gratiam catholicorum restringitur. Nam secluso pacis beneficio, persistere tenebantur catholici in ditionibus Principum acatholicorum, defectionis periculo expositi; periculum hoc pax submovit, dum sublata manendi necessitate, emigrandi libertatem invexit. Non igitur vi pacis religiosæ conceditur Principibus jus reformandi, sed ob necessitatem temporum, ac ut via majoribus malis præcludatur, Reformatio permittitur, quemadmodum in locis quibusdam permittantur plura alia. Illud quoque falsum ajunt AA. sententiæ secundæ,

vi pacis religiosæ jus concedi Principibus introducendi in ditiones suas acatholicismum, non enim conceditur, sed quia impediri non poterat, permittitur; nam præsumperant Proceres Confessionis Augustanæ non acatholicismum tantum in ditiones suas introducere, sed insuper catholicos ad eundem amplectendum compellere; utrumque Cæsar potentia & viribus destitutus impedire non poterat; permittit itaque prius illud, tanquam minus malum, ut impediret posterius tanquam majus. Quæ permissio cum libera non fuerit Cæsari, sed necessaria, culpæ argui non potest, cum nulla permissio necessaria culpæ subjaceat, utpote libertate destituta.

Negat insuper hæc sententiæ vi pacis religiosæ acatholicis jus tribui & actionem ad retinenda vindicanda ve spolia injuste catholicis erepta, non enim jus in bona illa tribuitur acatholicis, sed quia defendi aut recuperari sine gravi detrimento religionis catholicæ non poterant, usus facti saltem auctoritate publica illis permittitur, neque permittitur libere, sed urgente necessitate publica, periculum enim erat, judicio prudentum inevitabile, perdendi bona omnia, nisi quædam permitterentur acatholicis. Unde dum bona quædam acatholicis permittit Cæsar, non permittit libere, sed necessario, bona reliqua vero libere vindicavit ab interitu.

Ad

Ad partem ultimam argumenti eadem sententia ponit instantias, & reponit: quod nemo dicat, legem publicam cooperari usuris, qua exercitium illarum permittitur, & vi legis illius teneri iudices defendere usurarios, ac compellere alios ad solvendum sœnus, quod promiserunt; a nemine etiam Principes iniquæ cooperationis infimulari, qui Judæos tolerant, & tamen lege impunitatis semel lata, tenentur illos in ritibus suis defendere, ac contra vim privatam tutos reddere. Cur ergo succensendum paci (ait) Religiosæ, quæ cum in bonis ecclesiasticis licite concesserit usum facti, debuit quoque in usu hoc illos protegere, neque permittere, ut temeritate privata impediri posset, quod autoritate publica indultum fuit.

Ad tertium respondet, quod subditi teneantur vel acatholicismum amplecti vel solum vertere, hoc non adscribendum esse paci religiosæ, sed calamitati temporum & potentia acatholicorum; paci vero id potius referendum esse in acceptis, quod liceat migrare subditis, ac discrimen effugere defectionis; adeoque pacem non cooperari iniquitati, sed egregie potius consulere religioni catholicæ, dum inducitur migrandi licentia, hujus defendendæ periculum a subditis avertit. Quæ responsio etiam datur ad quartum.

Ad quintum respondet: concedendo per pacem religiosam sus-

pendi jurisdictionem ecclesiasticam, non tamen idcirco pacem improbandam, cum libera non fuerit talis suspensio, sed necessaria; cum jam antea acatholici jurisdictionem ecclesiasticam alto supercilio despexerint. Unde ne tota interiret, merito Præsules Germaniæ autoritatem suam represserunt, ac ut malo majori irent obviam, minus permiserunt.

Cessionem bonorum quod attinet, respondet hæc sententia, vi pacis religiosæ bona ecclesiastica non cedi hæreticis, sed permitti tantum, neque permitti liberè, sed urgente necessitate inevitabili; adeoque frustra ingeminari autoritatem Pontificis, cum legibus necessitas non subjaceat. Vi pacti igitur, quo bona permittuntur acatholicis, non transfertur in illos dominium aliquod, aut jus reale, sed usus facti saltem conceditur, ac securitas & impunitas extrinseca. Unde discurrendum fere de pacto tali, quemadmodum supra dictum est de lege publica, qua usuræ permittuntur; ubi vi juris prioris jus nemini conceditur exercendi usuras, sed impunitas saltem promittitur, si fuerint exercitæ; sic etiam vi pacti, quo bona ecclesiastica permittuntur acatholicis, non transfertur in illos dominium aliquod, aut jus reale, sed hoc saltem tribuitur, ut in quietâ detentione relinquantur, ac ob furta & rapinas commissas infestari nequeant,

Zz

Re

Renunciatio quam perstringit argumentum, nullo (pergunt) laborat incommodo, cum enim poterit Caesar, imo debuerit pacem componere, potuit quoque renunciare constitutionibus paci adversis, quia concesso sine, licita quoque censentur media, ad finem obtinendum necessaria.

Ad sextum respondent dupliciter: primo enim dicunt quaestionem, expediatne bono communi & saluti Reipublicae tolerare A catholicos? esse politicam, adeoque obnoxiam decisioni principum saecularium, cum horum sit expendere, quae mala in Republica expediat permittere, quae interdiceret. 2. Non fuisse liberum Caesari tolerare A catholicos, adeoque quaestionem sintne tolerandi an puniendi? non potuisse in consultationem deduci, cum de eo, quod est necessarium, frustra instituat consultatione.

Ad septimum respondet, quod Caesar teneatur defendere religionem catholicam, tueri jura Ecclesiae, castigare & extirpare A catholicos; at nullum juramentum eo trahi posse aut debere, ut adstringat ad aliquid impossibile; unde si in eas religio catholica redigatur angustias, ut in toto Imperio eam

conservare, sit impossibile, si bona ecclesiastica fluctibus obruantur tam validis, ut vindicare à naufragio universa non possint, satisfacit obligationi suae Caesar, satisfacit juramento, si religionem catholicam in parte conservet, si quaedam bona tempestatu eripiat, si à corpore dimidio venenum arceat; ad plus enim si teneretur, teneretur ad impossibile.

Ad octavum respondent, quod quando Caesar defensionem promittit Pontifici, non promittat impossibilem, aut noxiam religioni catholicae; unde si circumstantiae emergant, ut defensio A catholicorum videatur necessaria ad conservationem fidei catholicae, ad hanc licite se adstringit Caesar, nec Juramento impeditur, quo tenetur Pontifici, id enim non obligat cum dispendio fidei catholicae.

Ad nonum argumentum respondet sententia posterior, quod nullus Episcopus promittat, se velle defendere jura sedis Romanae & Ecclesiae, cum pernicie religionis catholicae; quapropter Episcopos potuisse salva obligatione sua paci religiosae subscribere. Ego vero decisionem utriusque sententiae in suspenso relinquam, mihi que sufficiat, utriusque argumenta proposuisse.

SECTIO

SECTIO IV.
DE
DE MEMBRIS ECCLESIAE EPISCOPO
INFERIORIBUS.

§. I.

DE JURE ABBATUM IN GENERE.

SUMMARIUM.

1. Persona ecclesiastica quanam dicatur? 2. Ejus descriptio. 3. Divisio adstruitur. 4. Abbates quanam dicantur? 5. Quam dignitatem habeant Abbates? 6. Quam aetatem habere debeat eligendus in Abbatem? 7. Abbatum potestas economica quanam sit? 8. Potestas jurisdictionis quae dicatur? 9. An Abbas habeat jurisdictionem spiritualem ordinariam in suos Religiosos? 10. An Abbates habeant jurisdictionem quasi Episco-

palem in suos regulares? 11. An Abbates habeant potestatem ferendi censuras? 12. Etiam in religiosos in alieno territorio existentes? 13. An habeant facultatem absolvendi suos Regulares à censuris? 14. Quam habeant potestatem dispensandi in regulà? 15. Ad Abbatem spectat libera administratio monasterii. 16. Quoad hanc administrationem adstruitur limitatio. 17. Abbates quam habeant potestatem conferendi ordines?

1 Nota 1. Quoniam hic tractatur de diversis Prælati personarum ecclesiasticarum, personam ecclesiasticam exinde esse dictam, quod in Ecclesia Catholica specialem gradum & præminentiam habeat, juxta textum in *can. ult. dist. 4.* ibi: *Sacerdotes & Diaconi, & reliqui omnes, quos dignitas ecclesiastici gradus exornat &c. & can. 4. caus. 20. quest. 4. Clement. 2. de pen.*

Alias persona ecclesiastica in jure canonico plerumque sub nomine Clerici designatur, Clericus autem secundum D. Isidori & Hieronymi nomenclaturam à sorte vel hæreditate denominatur, quia revera Clerici ad sortem Domini & hæreditatem Dei vocantur. *can. 1. dist. 21. can. 5. caus. 12. quest. 1. cap. 16. de præbend.*

Zz 2

De-

2 Describi autem potest persona ecclesiastica quod sit persona à curis & negotiis sæcularibus abstracta, ac divino officio specialiter deputata, auctoritate ecclesiastica. Et quidem primo dicitur: *Persona à curis & negotiis sæcularibus abstracta.* Est enim alia professio laicorum & alia ecclesiasticorum. Hi primi temporalia curare, mundum propagare, causas forenses tractare debent. *can. 7. caus. 12. quest. 1.* Illi ab ejusmodi laboribus & functionibus separati, Deum ac divina principaliter quærere tenentur. *tot. tit. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

Dicitur 2. *Divinis serviciis specialiter deputata.* Finis itaque & munus præcipuum personarum ecclesiasticarum est, ut ministerium divinum obeant, officia & exercitia spiritualia peragant, ac in Ecclesia pro gloria Dei ac salute fidelium operam indefessam impendant.

Dicitur 3. *Auctoritate Ecclesiastica:* hoc est: jussu, concessione, vel approbatione summi Pontificis, Episcopi, vel aliorum Ecclesie Prælatorum; neque enim pro clerico sive sæculari sive regulari agnoscitur, qui proprio motu seipsum divinis mancipat, vel institutum quoddam regulare profitetur. *argum. cap. unum. de relig. domib. in 6.*

3 Personarum ecclesiasticarum alia sunt sæculares, alia regulares; sæculares sunt, non quæ vitam cum laicis communem vivunt, sed una cum laicis in sæculo & mundo

viventes, citra professionem certæ regulæ, divino servitio sunt mancipatæ; quo sensu intelligendum est *cap. 31. de rescript.* Regulares sunt quæ postquam mundo valedixerunt, specialem quemdam vivendi modum, cum emissionem trium votorum substantialium, juxta regulam à sede apostolica approbatam, sunt professæ.

An autem Eremitæ personis ecclesiasticis annumerari debeant? desumendum est ex eo, an vota substantialia Deo nuncupaverint juxta regulam approbatam, vel saltem auctoritate ecclesiastica regularem habitum induti, cuidam Ecclesie vel oratorio deserviant; an è contra pro suo libitu sumpserint habitum, ac ubicunque volunt, per sylvas, civitates & oppida vagentur? Eremitæ priores cum nomen & officium cum clericis habeant communem, clericis rectè annumerantur. *can. 17. caus. 16. quest. 1.* Eremitæ posteriores sicut munus & officium clericorum dedignantur, ita eorum numero sunt excludendi. *Barbosa 7. E. lib. 1. cap. 39. §. 1. n. 23.* Fagnanus in *cap. nullus 2. de foro compet. n. 61.* Hic §. loquitur de Abbatibus personarum ecclesiasticarum regularium.

Nota. Abbates subinde appellari prælatos seu rectores ecclesiarum sæcularium, prout colligitur ex *cap. 3. de renunciat.* Nam iste abbas non erat monachus, quia ecclesia erat sæcularis non regularis. Prout notat Fagnanus ad *d. cap. 3.*
Secun-

Secundo subinde etiam inveniuntur abbates ecclesiarum secularium, ut est abbas S. Felicis Valentini, abbas Claromonten. & in Hispania sunt multi tales, & hoc esse commune Apulorum, Catalonorum, refert idem Fagnanus *loc. cit. n. 4.* Tertio etiam rectores, consules, priores artium, multis in locis abbates vocantur. Alciat. *in l. collegarum. ff. de V. S.* Sic in Arragonia rectores dicuntur abbates, & eorum uxores dicuntur abbatissæ. Verum hæc nuncupationes improprie usurpantur, hinc quarto sub propria appellatione abbatis venit caput monasterii monachorum. *cap. cum ad monasterium. de statu monach.* qui alias etiam vocatur Archimandrita, ut exponit Glossa *in Epist. inter claras. §. manifestu C. de summ. Trinit.*

Quæres I. *Quam dignitatem habent Abbates?*

Licet *in can. hoc tamen. caus. 17. q. 2.* dicatur vocabulum abbatis esse potius nomen sollicitudinis quam honoris; nihilominus:

Respondeo cum Baldo *in cap. Pastoralis. de offic. judic. deleg. Felino ibid. col. 4.* Fagnano *in cap. accedentibus. de excess. Pralat. n. 28.* Abbates habere dignitatem excellentiæ, & primam post episcopalem; cum abbatia sit speciali nota digna, & dicatur in primo dignitatis gradu, sicut episcopatus; cæteræ autem dignitates appellantur inferiores. prout colligitur ex *can. si quis, caus. 16.*

quest. 7. prout etiam non ita pridem decisum est per curiam Romanam in causa abbatis S. Udalrici Ord S. Bened. & abbatis ad S. crucem can. regul. S. Aug. Augustæ Vindelico- rum, quibus per decisionem & sententiam Papalem adjudicatum est, ut præcedentiam habeant præ reliquis Prælatibus omnibus, qui non sunt abbates. Sic etiam de stylo concilii Tridendi, ubi fit mentio Archi-Diaconi, Decani, aliorumque inferiorum, non comprehenduntur abbates. ut patet *in cap. 3. sess. 24. & Archi-Diac. in cap. licet. 1. de præbend. in 6.* sentit dignitatem abbatialem æquiparari dignitati episcopali. Lopus *alleg. 55. n. 11. V. item Abbatia,* relatus à Fagnano *in cap. ut Abbates. n. 14. de atar. & qualit. ait:* Abbatiam esse in primo dignitatis gradu, sicut episcopatus, & cæteras dignitates appellari inferiores, & propterea provisionem abbatia pronuntiarum & expediri in consistorio instar episcopatus, prout probatur *d. can. si quis deinceps. caus. 16. quest. 7.* Sic etiam in concilio Trid. immediate post episcopos sedebant abbates. Quapropter abbates præferuntur omnibus Decanis, Præpositis &c. prout colligitur ex littera *cap. ut Abbates. de atar. & qualit.* quod intelligo de abbatibus jus mitræ habentibus; nisi aliud legitima præscriptione alicubi sit introductum, prout in Archi-Diœcesi Moguntina Abbates etiam mitrati cedunt canonicis Ecclesiæ Metropolitanæ,

Zz 3

Quæres

6 Quæres 2. *Quam ætatem habere debeat assumendus ad dignitatem Abbatialem?*

Resp. Quoad Abbates tria inspicere posse tempora; primum est jus commune antiquum, quo & in minoribus ordinibus constitutus, poterat esse abbas, quin imo & laicus. *can. subdiacono.* & ibi Gloss. *Verb. Abbas. dist. 93.* Hostiens. *in cap. ut Abbates. de ætat. & qualit. n. 1.* Innoc. *ibid. in princ.*

Secundum tempus est concilii Pictaviensis, ex quo desumptum est *d. cap. ut Abbates.* & tunc abbates debebant esse presbyteri, nec assumi poterant clerici in minoribus, nisi instante necessitate. *cap. tuam §. fin. de ætat. & qualit.*

Tertium tempus est concilii Tridentini, quod *cap. 12. §. ad ceteras. sess. 24.* ad quascunque dignitates non curatas, satis esse statuit, ut assumantur illi, qui habent ætatem 22. annorum, id est qui annum vigesimum secundum expleverint, ut declaravit S. congregatio ejusdem concilii Interpretes. Quod demum ita intelligendum est, si abbatia non habeat curam fori penitentialis aut jurisdictionalis; cui autem hæc annexa sunt, requiritur annus vigesimus quintus inchoatus, cum cura animarum hanc ætatem requirat.

Quæres 3. *Qualem potestatem habeant Abbates in subditos suos regulares?*

7 Resp. Potestas abbatum alia est domestica, dominativa, seu œcono-

mica, qualem habet pater in filium; estque jus quoddam competens abbati in religiosos, ad imperandum illis, & utendum eorum operibus, prout ad regularem disciplinam conveniens judicaverit, quæ radicaliter oritur a voluntate profitentium talem regulam, & se tradentium religioni, cum promissione & obligatione secundum illam obediendi; ad quam pertinet v. g. irritare vota. Altera est potestas jurisdictionis, quæ est jus seu potestas spiritualis sive ecclesiastica, pertinens ad claves ecclesiæ, & consequenter a Christo data est vel derivata, mediante Papa ejus Vicario, vel aliis episcopis; omnis à quo ligandi & solvendi potestas conveniente ordine descendit. Ad quam potestatem pertinet judicare, excommunicare, & alias censuras inferre, corrigere & punire, infligendo pœnas corporales & graviore, quam per domesticam potestatem inferri possint; vi cujus moderata solum coercitio ac pœna a pralato infligi potest, quæ ad ordinarium regimen unius familiæ sufficiat; Prior potestas paterna est; privata & domestica; posterior jurisdictionis est publica, quæ ad publicam ecclesiæ gubernationem & disciplinam ecclesiasticam pertinet; prior non debet excedere limites rationis & prudentiæ, qua paterfamilias bene dirigit familiam suam; & sicut ineptus plane foret paterfamilias, qui liberos suos stultis ac indiscretis insolentiis vellet gubernare, ita plane

plane idem iudicium foret de abbate formandum, qui plus sibi indulgeret quam inferioribus, plus de suo ventre sollicitus, quam de ingenua reliquorum sustentatione, qui plus intentus suis commoditatibus, quam reliquorum indigentibus, qui mercenarium potius se ostenderet, quam Pastorem, potius dissipatorem quam dispensatorem, magis prædonem quam sollicitum patremfamilias; equidem religiosi non sunt propter abbatem, sed abbas est propter religiosos bene & sollicitè dirigendos, illud autem magis tale, propter quod unumquodque tale.

Quæres 3. *An Abbates habeant jurisdictionem spiritualem ordinariam in suos religiosos?*

9 Resp. affirmative. ratio est, quia ea ipsi competit ex vi officii seu muneris sui, ad quod a communitate seu collegio sunt electi. Ergo jurisdictio eorum est ordinaria. Sylvester in *summa V. Prælatus q. 1.* Suarez. *tom. 3. de relig. lib. 10. c. 11. n. 8.* Tamburinus *tom. 2. de jur. Abbas. diss. 1. quest. 4. n. 1. & 2.*

Quæres 4. *An Abbates sive exempti, sive non exempti habeant jurisdictionem quasi episcopalem in suos regulares?*

10 Resp. 1. Abbates exempti a jurisdictione episcoporum, & immediate S. Pontifici subiecti, episcopalem vel quasi episcopalem jurisdictionem obtinent in suos regulares. Ubi tamen est distinguendum inter eos qui habent territorium proprium ac separatum, adeo

ut neque in diœcesi neque de diœcesi alterius episcopi sint; & hi dicuntur esse nullius diœceseos, & possunt omnia facere in suo territorio, sive quasi diœcesi, in qua jurisdictionem quasi episcopalem exercent, quæ episcopi faciunt in sua diœcesi circa suos subditos, exceptis iis, quæ ad ordinis episcopalis potestatem spectant. Sanchez. *lib. 2. in Decal. c. 11. n. 7.* Tamburinus *loc. cit. dist. 1. q. 5. n. 7.* Alii vero Prælati sunt exempti, qui territorium proprium & separatum non habent, sed sunt in alterius diœcesi, & hujusmodi loca exempta, licet non sint de diœcesi, sive jurisdictione episcopi, sunt tamen in diœcesi, sive territorio episcopi. *arg. c. 7. de offic. jud. ord. in 6.* ubi dicitur: quod episcopus possit ordinariam jurisdictionem exercere in qualibet parte suæ diœceseos, dummodo in loco exempto id non faciat. Ergo locus exemptus est in diœcesi. & hujusmodi prælati exempti, etsi jurisdictionem quasi episcopalem habeant in suos religiosos, vel etiam sæculares, non tamen possunt omnia exercere, quæ episcopi circa suos subditos, nec nomine episcoporum absolute comprehenduntur, quia non habent territorium seu diœcesin propriam. Sanchez. *loc. cit.* Tamburinus *l. c. n. 6. & 8.* Prælati vero non exempti habent etiam quasi episcopalem jurisdictionem, sed subordinatam, & in certis casibus dependentem a jurisdictione episcopi diœcesani.

Resp.

Resp. 2. Abbates non exempti ab ordinariis locorum, sed his subiecti, habent etiam potestatem jurisdictionis ordinariam in regulares suos, ut ipsis ratione præstiti voti obedientiae, præcipere possint in iis, quæ pertinent ad vota, observationem regulæ, & religiosam disciplinam domesticam, rationem vivendi, & quoad officia & promotionem ad ordinum gradus; juxta *cap. 5. de tempor. ordin.* Nam in his dispositio, correctio & punitio, primo loco ad Prælatum ordinis spectat, nec episcopus se in hisce immiscere debet, nisi constet de negligentia, aut injuria Prælati regularis, ut docet Sanchez *l. 6. in Decal. c. 1. n. 12.* Episcopo autem regulares non exempti sunt subiecti, non ratione voti obedientiae, quia regulares hoc ipsi præstare non solent, sed in iis tantum, quæ ad externam disciplinam ecclesiasticam, communem clericis & sæcularibus & regularibus pertinent, & quoad crimina graviora & publice scandalosa punienda. Sanchez. *l. c. n. 13.* Layman, *de jurisdict. ordin. conclus. 117.* Si

Objicias: *Can. Monasteria 17. caus. 18. quest. 2.* desumpto ex concilio Arelatenfi, ibi: *monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertineat episcopum, in cujus territorio sunt constituta.* Ergo regulares quoad omnia plene subiecti sunt episcopo. Explico antec. pertineat ad episcopum in gravioribus delictis, præsertim exi-

gentibus depositionem. C. in aliis N.

Quæres 5. *Quam potestatem excommunicandi, aliasque censuras inferendi habeant Abbates?*

Resp. 1. Cum abbates jurisdictionem ordinariam obtineant in suos religiosos, etiam in foro externo, possunt ob contumaciam, excommunicationem aliasque censuras in eosdem ferre. *cap. cum in ecclesiis. 10. de major. & obed. cap. sicut 33. de Simon.* modo sint confirmati, vel instituti seu provisi, etsi non benedicti. Suarez. *Dis. 2. de censur. Sect. 2. n. 9.* Navarrus in *manual. c. 27. n. 5.* AZOR. *p. 1. institut. moral. lib. 12. c. 10. quest. 7.* Ratio est, quia abbates sunt capita ecclesiarum regularium ex legis præscripto, per electionem & confirmationem constituti, ergo ab eadem lege communi habent jurisdictionem ordinariam fori externi in collegium, seu eos, quibus præficiuntur; adeoque etiam habent potestatem eos excommunicandi, vel per alias censuras coercendi, licet abbates episcopo subsint. Ut tradit glossa communiter recepta in *c. cum ab ecclesiarum 3. V. ecclesiastica sententia. de offic. judic. ordin.* Insuper etiam possunt abbates regulares suos incarcerare, jejunii ac similibus pœnis punire, ac denique, si incorrigibiles fuerint, ex ordine ejicere, ita ut non nisi emendatos recipere debeant. Ut constat ex *cap. 8. de statu Monach.* Layman, *de Jurisdict. ordin. conclus. 127.*

Resp.

12 Resp. 2. Abbates aliique Prælati regulares subditos suos possunt excommunicare per sententiam generalem, vel particularem in eos latam, etiam si in alieno territorio existant, quia censura ligat personam secundum se, eamque comitatur, ubicunque locorum existat. Suarez. lib. 1. de censur. sect. 5. num. 8. Ex quo

Infertur: quod jurisdictio & potestas Prælatorum in Professos seu religiosos suos, extendat se ad omnem locum, ita ut ubique locorum eos capere & constringere possint, si sint fugitivi, quia eorum jurisdictio provenit ex personali obligatione religiosorum per vota, secundum sedis Apostolicæ approbationem, unde dici solet, quod totus mundus his Prælati sit pro territorio.

Quæres 6. Quam potestatem habeant Abbates absolvendi a censuris?

13 Abbas potest religiosos suos ab omnibus peccatis & censuris a jure specialiter non reservatis absolvere, vel alteri sacerdoti idoneo absolvendi potestatem committere. Navarrus l. c. c. 27. n. 39. Pirrhing. sect. 4. §. 2. n. 13. de offic. judic. ordin. Ratio est, tum quia abbas etiam in foro conscientie jurisdictionem habet in suos regulares; tum argum. c. 39. de sent. excomm. ubi dicitur quod quilibet proprius sacerdos absolvere possit a censuris non reservatis, quia quando conditor canonis sibi non reservavit absolutionem censuræ, eo ipso aliis rela-

xandi facultatem concessisse videtur. Multo magis poterit abbas absolvere a censuris a se latis, quia regulariter, cui jure ordinario concessa est potestas ligandi, eidem etiam eodem jure potestas solvendi competit, vel ejus delegato aut successori.

Quæres 7. Quam potestatem habeat Abbas dispensandi cum suis regularibus in regula?

14 Resp. In genere loquendo potest est abbas in observatione regulæ dispensare, quatenus id a jure vel regula, vel consuetudine vel privilegio est concessum. sic potest abbas regulam relaxare ob causam justam in abstinentiis & usu carniæ, jejuniis, silentio, operibus manuum, quæ alioquin ex præscripto regulæ monachi seu religiosi servare debent. Imo generaliter in omnibus ad regulam spectantibus, præterquam in iis, quæ ad habitum, trium votorum observationem, & religionis substantiam pertinent. Azor. p. 1. Institut. lib. 12. cap. 20. quest. 16.

Quæres 8. Quæ potestas administrandi competat Abbati?

15 Resp. de Jure Communi canonico ad abbatem spectat libera administratio monasterii, tam in spiritualibus quam temporalibus, ita ut solus & independenter à capitulo seu conventu regulares suos corrigere, & solus ordinare possit ea, quæ ad cultum divinum & bonorum temporalium dispensationem in monasterii utilitatem pertinent.

A a a

Abbas

Abbas in cap. 26. n. 11. de appellat. & in cap. 21. n. 2. de Rescript. & ibid. Imola n. 2. ubi Pelagius Papa scribit: *Universa quae vel ad divini cultus reverentiam, vel utilitatem monasterii pertinent, Abbatis sollicitudo, ad quem tota potestas pertinere convenit, debeat adimplere.*

Idem colligitur ex can. 11. §. cum hujus. caus. 12. quest. 1. Et ratio est, quia necessarium fuit hanc potestatem gubernandi alicui committere, quia non poterat per totam communitatem administrari; ergo maxime debuit committi abbati, ut debitus ordo & perfecta obedientia fervaretur. Ex quo colligitur, quod abbas non tantum dependeat a suo conventu, quantum episcopus a suo capitulo, quia ipsa ordinis regula, maxime propter votum obedientiae abbati seu praelato regulari plenam super regulares suos & monasterium tribuit potestatem. Abbas in cit. cap. 26. de appellat. n. 11. Layman de jurisdic. ordin. conclus. 189.

Dixi: de jure communi. quod enim
 26 Abbates plenam tam in personas, quam res monasterii potestatem habeant, limitari debet. 1. Nisi vel per consuetudinem vel per statutum introductum sit aut dispositum, ut abbas saltem ea, quae gravia sunt, seu majoris momenti, sine consensu vel consilio conventus sui, aut majoris vel sanioris partis ejus, expedire non possit. Quare hac in re inspiciendum est, quid in quovis monasterio, vel per statuta ordinatum, vel consuetu-

dine receptum sit. In dubio tamen de jure communi fiat praesumptio pro abbate, cum ipsi plena & libera administratio secundum canones sit concessa. Layman. cit. conclus. 129.

Secundo non potest abbas ea, quae in praedictum conventus cedere posse videntur (ut est v. gr. monachorum receptio) solus sine ejusdem conventus vel majoris partis consensu expedire. Idemque dicendum est, si agatur de iis, quae ad statum ac honorem ecclesiae vel monasterii spectant, v. gr. de ipsius subiectione aut membrorum ejusdem. Imola in cap. Edoceri. 21. de Rescript. n. 5. & Layman. ibid. n. 6.

Tertio. Quod abbates habeant juxta canones plenam administrationem bonorum monasterii, id demum est intelligendum de monasteriis, quae ex antiqua institutione, etiam si ejusdem regulae & instituti sint; jura tamen & bona indivisa & separata habent, ita ut non habeant unum generalem praepositum seu caput, cui quoad administrationem bonorum sint subiecti; In his enim tota potestas administrandi est penes abbatem.

Quaeres 8. Abbas quam habeat potestatem conferendi ordines?

Resp. Abbatem etiam non exemptum posse conferre ordines minores. Est communis sententia & eam sapientius probavit sacra congregatio concilii. Fagnanus in cap. cum contingat. de stat. & qualit. n. 3.

Ad

Ad hoc autem, ut abbas possit conferre tonsuram & ordines minores, requiritur 1. ut abbas sit sacerdos. *c. cum contingat. de atat. & qual. ibi: & constet eum existere sacerdotem.* Secundo: ut sit benedictus. *d. cap. cum contingat. ibi: dummodo ipsi ab Episcopo manus impositio facta noscatur.* Tertio requiritur: ut in conferendo servetur forma ecclesiæ. *cap. cum contingat. ibi: juxta formam Ecclesiæ datam, quæ prætermissa nihil confertur.* Quarto exigitur ex parte ejus, cui ordines conferuntur, ut sit proprius monachus abbatis ordines conferentis. Colligitur ex *d. c. cum contingat. ibi: solummodo in proprio monasterio.* Fagnanus *loc. cit. n. 5. & concordat Concilium Trid. cap. 10. sess. 23.*

§. II.

DE PRÆLATIS EPISCOPO INFERIORIBUS ECCLESIARUM CATHEDRALIUM ET COLLEGIATARUM.

SUMMARIA.

1. Ecclesia Cathedralis quenam diacatur? 2. Collegiata que nuncupentur? 3. An Decanus Ecclesiæ Cathedralis habeat dignitatem? 4. Quenam sit major dignitas Præ-

positura an Decanatus? 5. Quam jurisdictionem habeat Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatae? 6. In Germania quid observandum sit circa Decanos Ecclesiarum Collegiatarum?

1. Ecclesia Cathedralis exinde sic dicta, quod penes illam sit cathedra seu sedes & residentia Episcopi, cujus dignitas per cathedram tanquam Magistrorum & Doctorum insigne designatur, prout etiam per cathedram D. Petri, Ecclesia Romana designatur, ut notat D. P. Corbinianus Khamm in *Hierarchie Aug. cap. 2. sect. 2. n. 8.*

Est hæc Ecclesia *Matrix* seu princeps Ecclesia totius Civitatis & Diocesis. *cap. venerabilis. 2. de V. S.*

habetque cum omnibus Ecclesiis inferioribus concurrens forum sacramentale, ita ut omnibus Diocesanis ibidem sacramenta ministrari possint. *Barbosa. j. E. V. lib. 2. cap. 1. n. 6.*

Ex Ecclesiis singularem quoque prærogativam habent *Collegiatae*, in quibus sub aliquo capite clerici sæculares congregantur ut membra. Quarum nonnullæ dicuntur *insignes*, alix sine speciali titulo *collegiatae* nominantur. Quanam verò sint

sint insignes, in jure determinatum non invenitur; & ideo ad conjecturas recurritur, ac insignitas quandoque ex pluralitate canonicorum, interdum ex antiquitate, nonnquam ex loci, in quo sunt sita, nobilitate &c. mensurantur. Barbosa *cit. lib. 2. cap. 6. num. 15.* D. P. Khamm. *d. cap. 2. sect. 2. n. 13.*

Ex personis ecclesiasticis quaedam vocantur simplices, quae nempe nec dignitate fulgent, nec personatu potiuntur, nec in Ecclesia Cathedrali canonicatum obtinent. Aliae passim nominantur qualificatae, quibus nobilior qualitas suffragatur, puta dignitas, personatus, vel Canonicatus Cathedralis. Hic quaeritur an Praelati Ecclesiarum cathedralium vel collegiatarum obtineant dignitatem?

Quaeres 1. An Decanus Ecclesiae cathedralis habeat dignitatem?

3 Resp. Affirmative. Nimirum Decanum Ecclesiae cathedralis ita esse in dignitate constitutum, ut ipsi a sede Apostolica vel legato ejusdem, causae delegari possint. juxta *cap. statuimus. 11. de rescript. in 6.* Licet enim spectato jure communi, Decanus Ecclesiae cathedralis non sit praeditus jurisdictione fori externi, habet tamen praeminentiam inter canonicos, & alios clericos, quoad dignitatem latius acceptam. Abbas *in cap. de multa. 28. n. 21. & seq. de Praebend.*

In Germania praesertim Decani Ecclesiarum Cathedralium dignitatem habere indubie censentur,

propter praeminentiam, quia canonicos & reliquos clericos praecedunt in choro, in capitulo, & publicis processionibus. Layman. *loc. cit. conclus. 141.*

Quaeres 2. Quenam sit major dignitas Praepositura an Decanatus?

4 Resp. Id de jure communi expressum non esse aut determinatum, nam aliquando Decanus praepositurae Praeposito & honorabilior de capitulo censetur. *c. 1. de atat. & qualit. arg. cap. 7. de concess. praebend.* Alias vero Praepositus aliis antefertur. *c. quamvis. 9. de V. S. & sic Praepositura major videtur dignitas, quam Decanatus.* Fagnanus *in cap. 1. n. 32. de atat. & qualit.* quare hac in re ad consuetudinem cujusque loci aut provinciae, est attendendum. Riccius *in Praxi tom. 4. resol. 395. n. 16.* Fagnanus *loc. cit.* sic in tota fere Hispania & Gallia, prima post Pontificalem dignitas & major est Decanatus, quia Decanus est caput capituli, eique praest, jurisdictionem aliquam in canonicos exercens. Riccius *loc. cit.* Barbosa *lib. 1. Juris Eccles. c. 26. n. 3. & 4.* At vero in Germania, Belgio & Polonia, Praepositura est major & prima dignitas post episcopalem, jurisdictionem annexam habens. Riccius *loc. cit. n. 12.* Fagnanus *in cit. c. 1. n. 25.* Unde etiam in plerisque Ecclesiis cathedralibus & collegiatis Germania, Praepositura est reservata collationi & provisioni summi Pontificis, quia censetur major & dignior post Pontificalem

calem, juxta concordata Germaniæ, §. de cæteris.

Quæres 3. *Qualem jurisdictionem habeat Præpositus vel Decanus Ecclesiæ Collegiatae?*

5. Resp. Spectato jure communi probabile est prælatos seu rectores collegiatarum ecclesiarum secularium, sive vocentur præpositi sive Decani, qui à capitulo eliguntur, & à superiore vel episcopo confirmantur, habere ordinariam jurisdictionem fori externi in clericos sui collegii, licet subordinatam episcopo, cui subsunt. Glossa in cap. cum ab Ecclesiarum, 3. V. Ecclesiastica sententia. de offic. judic. ordin. & ibid. Innocent. in princ. num. 10. Imola ibid. num. 6. argum. l. ult. C. de jurisdic. omn. jud. Ex quo fluit

Quod possint excommunicare, aliasque censuras ferre. Prout sentiunt Glossa loc. cit. Innocent. in cap. quanto. 7. n. 2. de offic. judic. ordin. Abbas in cap. 3. eod. num. 3. Excipiendæ tamen sunt causæ criminales; & ex, quæ privationem seu depositionem merentur, hæ enim cognitioni episcopi & ejus jurisdictioni sunt reservatæ. Abbas in cap. si quis. 4. n. 52. de offic. judic. ordin. & in cap. cum contin. gat. 13. num. 29. de foro compet. Im-

primis tamen inspicienda est, quoad hanc rem consuetudo cujusque Ecclesiæ, ea enim jurisdictionem tribuit. Pirhing. §. 1. n. 9. de offic. Archi presbyt. In quibusdam enim locis dicti prælati jurisdictionem improprie exercent; in aliis non nisi causas leves cognoscere possunt, & levia delicta; idque vel cumulative cum Episcopo, ita ut in optione actoris sit, an clericos ipsorum convenire velit coram episcopo, an coram prælato ipsorum immediato. Innocent. in cit. cap. quanto. 7. num. 2. Abbas loc. cit. vel private excluso episcopo, ita ut in prima instantia, etiam in causis civilibus clericorum Ecclesiæ collegiatae, judex ordinarius sit prælatus seu rector ejusdem, vi consuetudinis legitimæ, & ille adiri debeat. Layman. de jurisdic. ordin. conclus. 142.

6. Cæterum in Germania, etiam in plerisque Ecclesiis collegiatis secularibus, quamvis prima dignitas sit præpositura, ei tamen nulla jurisdic. & cura vel administratio est annexa, sed Decanatu, quæ secunda quidem est dignitas, jurisdictionem tamen fori externi in clericos annexam habet, quæ per electionem collegii seu capituli, & confirmationem episcopi tribuitur. Layman. loc. cit.

S. III.

DE CANONICIS.

SUMMARIA.

1. *Canonicus quis dicatur?* 2. *Præbenda qua nuncupetur?* 3. *Quotuplices sint præbende?* 4. *Capitulum in genere quid sit?* 5. *Dividitur in seculare & regulare.* 6. *In quo hæc duo Capitula conveniant?* 7. *Eorum differentia.* 8. *Quinam pertineant ad Capitulum?* 9. *Sedis nomine quid intelligatur?* 10. *Ecclesia quotupliciter possit vacare?* 11. *Capitulum an succedat in potestatem Episcopi?* 12. *Ponuntur argumenta contraria?* 13. *An Abbatia vacante, potestas Abbatis transeat ad Capitulum sive conventum?* 14. *Capitulum sede vacante potest exercere omnes actus jurisdictionis contentiose ordinaria.* 15. *Jurisdictio delegata Pralato non transit ad Capitulum.* 16. *An actus jurisdictionis voluntaria possint exerceri à Capitulo?* 17. *Afferitur regula generalis quoad ea, quæ transsunt sede vacante ad Capitulum.* 18. *An Capitulum succedat in potestate ordinis?* 19. *Quando requiratur consensus majoris partis ex Capitulo?* 20. *Quenam dicatur major pars Capituli?* 21. *Quando requiratur consensus Capituli?* 22. *An Canonici teneantur residere in loco Canonicatus?* 23. *Fructus quotuplices?* 24. *An ad residentiam sufficiat sola presentia in Civitate?* 25. *Absens ex causa necessitatis habetur pro presente.* 26. *Absens ex causa utilitatis privata.* 27. *Sufficiit tamen utilitas Canonicatus vel Ecclesie.* 28. *An absentes per tempus sibi à jure concessum, lucentur distributiones quotidianas?* 29. *Bona Clericorum quotuplicia?* 30. *Canonici alique Clerici possunt testari de bonis patrimonialibus.* 31. *Etiam de bonis quasi Clericalibus.* 32. *De bonis verè Clericalibus quando testari possint?* 33. *An de bonis Clericalibus superfluis?* 34. *An saltem possit introduci consuetudo, ut Clerici testentur de bonis verè Clericalibus superfluis?*

Quæ de canonicis referri possunt, ad duo capita spectant; nimirum quæ potestas sit penes canonicos collegialiter congregatos, sive penes totum capitulum seu collegium canonicorum? secundo quos fructus faciant suos, & de quibus possint testari? hinc

Nota 1. *Canonicus dicitur a Canoniam quam habet; canoniam autem vi nominis includit tantum jus habendi sedem in choro, & vocem in capitulo, absque redditibus vel præbenda.* Per textus in cap. 9. de consuet. cap. 32. de rescript. cap. ult. §. in illis de concess. Præbend. in 6.

D. Kœ-

D. König *tit. de prabend. p. 1. num. 2.*
 Petrus de Murga *Tract. de Benef.*
quest. 1. n. 6.

2 Nota 2. Præbenda exinde dicitur, quia clericis suam præbet alimentiam. Præbenda late sumpta denotat perceptionem reddituum ecclesiasticorum, etiam si laico competat, propter servitium aliquod mere temporale, v. g. advocatiam ecclesie, quam *laicalem præbendam* alias appellant. Vallensis *de Præbend. & Dignit. §. 1. n. 1.* stricte vero, quatenus accipitur pro beneficio ecclesiastico seu *præbenda spirituali*, primo significat portionem canonicam, sive ipsum jus percipiendi certos redditus ecclesiasticos, promanans ex canonia, a qua præbenda differt tanquam effectus a sua causa. Est igitur præbenda jus perpetuum percipiendi redditus ecclesiasticos, ratione spiritualis officii, ecclesiastica autoritate institutum, & personæ ecclesiasticæ ab ecclesiastica collatum. Layman. *Theol. mor. lib. 4. tr. 2. c. 1. n. 1.* P. Engel. *tit. de Præbend. & Dignit. n. 1.*

Canonicus igitur plerumque ac ordinarie is dicitur & est, qui habet sedem in choro, vocem in capitulo (domicellares habent vocem saltem in actu primo, ac in potentia adhuc ligata) ac insuper jus percipiendi certos redditus in ecclesia seculari, hoc est cathedræ vel collegiata.

3 Inter has præbendas aliæ sunt duplices, aliæque vocantur simplices, juxta castrum Palaum in *Oper. mo-*

ral. p. 1. tr. 17. Disp. un punct. 1. num. 3.
 Petrus de Murga *de benef. n. 320.*
 Præbenda duplex est, quæ afficitur aliqua juris qualitate, cujus generis est *Dignitas*, quæ præminentiam cum jurisdictione in foro externo habet, item *Personatus*, qui nec jurisdictionem ullam habet, nec administrationem rerum, habet tamen eminentiorem sedem & locum in Capitulo, in Choro, ac in aliis locis respectu aliorum, qui in ecclesia aut conventu suo, tali vel majori carent præminentia. P. Engel. *de Præbend. & Dignit. n. 4.* Beneficia simplicia sunt omnia beneficia, quæ neque jurisdictionem fori externi, neque specialem præminentiam, administrationem aut curam animarum habent, sed instituta sunt ad preces tantum persolvendas, & alia divina officia peragenda, quales sunt omnes canonicatus ecclesie cathedralis aut collegiata; & præsumitur in casu dubio beneficium simplex potius, quam duplex, eo quod qualitas non præsumatur, nisi probetur. D. König. *ad tit. de Præbend. & Dignit. p. 1. §. 4. n. 6.*

Quæres 1. *Quid sit capitulum in genere?*

Capitulum est verbum homonymum ac plures patitur significationes; & quidem 1. parvum caput seu articulum, vel extractum aliquem aut compendium ex capite vel tractatu longiori, in qua significatione textus juris in libris decretalium vocamus *capitula*, eo quod ordi-

ordinarie non tota decretalis epistola, sed Synopsis tantum, vel passus ille qui servare videtur intento, referatur. 2. Significat locum in quo personarum ecclesiasticarum communium negotiorum vel deliberationum gratia in unum convenire solent. per textum in *cap. 30. de Elect.* Tertio significat plures personas ecclesiasticas in uno loco communis consilii & auxilii gratia collectas, per rubricam & textum in *tit. de his, qua sunt à Prelatis sine consensu capituli.* & in *tit. de his, qua sunt à majori parte capituli.*

Resp. Capitulum in genere est corpus quoddam politicum, ex pluribus personis ecclesiasticis, communibus legibus & juribus ad communem utilitatem coadunatum.

Dicitur 1. *Corpus quoddam Politicum*, seu ut alii dicunt, mysticum & morale. Sicut enim ex pluribus membris iuxta symmetria inter se colligatis corpus physicum & naturale consurgit, sic ex pluribus personis nexu quodam politico inter se congregatis coalescit corpus quoddam politicum, mysticum aut morale, per textum in *cap. 4. de his, qua sunt à Prelat. sine consensu capituli.* & *cap. 14. de Excess. Pralat.* soletque alias collegium, universitas, aut communitas appellari. *l. 1. in princ. & passim. ff. quod cujuscunque universit. nom. cap. ult. de judic.*

Dicitur 2. *Ex pluribus personis Ecclesiasticis.* Primo enim ad capitulum non minus quam ad quodcunque aliud collegium vel corpus politi-

cum requiruntur plures personarum, atque ad minimum tres, juxta notissimam regulam in *l. Neratius. ff. de V. S.* ubi dicitur, quod tres faciant collegium. Et *cap. 1. de Elect.* quod dicit duos vel tres ad collegium sufficere; item *l. 7. ff. quod cujuscunque univers. nom.* quae dicit universitatem in uno consistere posse, intelligi debent de universitate in conservari. Ad collegium autem in fieri requiruntur ad minimum personarum tres. Ad capitulum igitur requiruntur plures personarum & quidem ecclesiasticarum.

Dicitur 3. *communibus legibus & juribus.* Cum enim capitulum sit quaedam communitas, oportet ut res, leges & jura communia habeat; ceteroquin si nulla legum, rerum, & jurium sit communio, magis singularitas quam communitas relucet. *l. 1. §. 1. ff. quod cujuscunque univers. nom. c. 9. de vita & honest. Cleric.* & ideo plerique DD. ad capitulum requirunt 1. arcam seu ararium & cassam communem, ad communes necessitates paratam. 2. Commune sigillum, quo negotia & acta capituli qua talis expediuntur. 3. Syndicum seu officialem, per quem jura & res capituli gerantur & defendantur. textus in *cap. 48. de appellat. cap. 14. de Excess. Pralat. l. 1. §. 1. ff. quod cujuscunque univ. nom.*

Dicitur 4. *Ad communem utilitatem Coadunatum.* Quia finis cujusque mystici corporis est, ut membra particularia, quae ceteroquin ad commodum privatum &

par-

particulare respiciunt, nexu quodam & vinculo, communis subsidii gratiâ, connectantur, tum quia facilius periclitatur unus quam unitas, tum quia ut fert adagium tritum & vulgare: concordia & unione etiam res parvæ crescunt, discordiâ res alias magnæ dilabuntur. Quod si sine mutuo nexu vinculo & unione plures clerici, religiosi, capellani, vicarii vel beneficiati in eadem ponantur Ecclesia, numerum quidem faciunt & multitudinem, capitulum vero non constituunt. per *d. c. 14. de appellat. Gonzalez. ad cap. cum in cunctis. n. 4. de his, quæ fiunt à major. part. capit.*

5 Quamvis hic agam de capitulo canonicorum, nihilominus advertendum est, capitulum dividi in *seculare & regulare*. Prius est, quod constituitur ex clericis sæcularibus; posterius est, quod constituitur ex clericis regularibus, & sæpe numero, *Conventus, Collegium*, vel congregatio vocatur, per textus in *can. statum. 3. caus. 20. quest. 3. cap. 21. de Rescript. cap. 2. cap. 6. de his, quæ fiunt à major. part. c. 11. de reb. Eccles. non alien.*

6 Convenit etiam capitulum regulare cum sæculari in omnibus ferè, quæ de potestate & jure capituli tum pralato vivente à sacris canonibus traduntur, per textus in *cap. 41. de Elect. cap. 3. de transact. cap. 1. de his, quæ fiunt à major. part. capit. cap. 1. de reb. Eccles. non alien. clement. 1. eod. cap. ult. de regular. & cap. eod. in 6. Abbas in cap. his, quæ*

11. de major. & obed. n. 2. Barbofa ad rubric. tit. ne sede vacante. num. 2. D. P. Francisc. Schmier. Tr. de Pers. Reb. & Jur. Eccles. p. 1. c. 4. sect. 1. §. 2.

Disconveniunt autem in eo, quod capitulum sæculare habeat ordinariè bona ab episcopo vel præposito distincta; capitulum autem regulare propter votum paupertatis, tam religiosiis privatis quam superioribus commune, in communione & communi bonorum dominio cum pralato vivit.

Rursus: Sicut canonici alii sunt cathedrales, alii collegiales, ita capitulum sæculare distinguitur in cathedrale & collegiale. Cathedrale est, quod in ecclesia cathedrali, in qua episcopus suam cathedram seu sedem principalem habet, congregatum; subinde si ecclesia sit metropolis, *Metropoliticum* appellatur; possetque non incongrue *Sensus Episcopi* appellari, quemadmodum enim antiquitus presbyteri & diaconi civitatis episcopalis senatum episcopi constituere dicebantur; sic capitulum cathedrale, quod huic presbyterorum catui successit, senatus ecclesiæ cathedralis vel episcopi nuncupari potest. Van Espen. *Jur. Eccles. univ. p. 1. tit. 8. c. 1. num. 3.* Capitulum collegiale est, quod in alia ecclesia quam cathedrali sub uno aliquo capite congregatum est.

Quæres 2. *Quinam pertineant ad Capitulum.*

Quamquam in unâ eademque Ecclesia plures ecclesiastica perso-

Bbh

na

næ reperiantur in unum collectæ, attamen non omnes ad capitulum pertinent, nec capitulares appellantur, nisi vocem & sessionem in capitulis obtineant.

Resp. De jure communi suffragium & vocem in capitulis habent, qui in ordinibus majoribus sunt constituti. *Clement. 2. de atat. & qualit. præficiend. Trid. sess. 22. de Reform. c. 4.* adeoque canonici, quos Domicellares vocant (sicut & religiosi professi tantum) carent suffragio, & capituli ac capitularium nomine haud comprehenduntur. De consuetudine tamen etiam sacerdotes in quibusdam ecclesiis cathedralibus & collegiatis non statim ad capitulum admittuntur, sed constitutus est numerus capitularium, ultra quem nullus admittitur, etiamsi ad præbendam in eadem ecclesia sit admissus. Manet igitur conclusio, quod omnis, qui est majoribus ordinibus initiatus, sit capax vocis in capitulo.

Quæres 3. *Quenam in genere Capitulo competant sede vacante?*

9 Nota 1. Sedes vel ecclesiam denotat, tum sæcularem, tum regularem, cui prælatus præsidet, vel dignitatem, quâ prælatus resplendet; diciturque vacare & viduari, quando destituitur suo prælato, cum quo sædus connubii spiritualis vel quasi iniverat. *cap. 41. de Elect.*

10 Nota 2. Ecclesia vacare suoque Prælato destitui potest multis ex

causis. Prima est mors naturalis, quæ non solum conjugium carnale, sed etiam spirituale dissolvit. *cap. sicut alterius 39. caus. 7. quæst. 1.* Secunda est mors civilis, quæ inducitur tum ex spontanea resignatione, *cap. 2. de translat. episc. cap. 10. in fin. de renuntiat.* tum ex translatione Prælati ab una ecclesia ad aliam. *cap. 4. in fin. de postulat.* tum ex amotione, depositione, privatione, per *can. 15. caus. 18. quæst. 2. cap. 7. de statu Monach. cap. 10. in fin. de Excess. Prælat.* Tertia est impotentia quædam ad spirituale officium obeundum, per suspensionem, excommunicationem, aliudve impedimentum contracta. *arg. cap. 1. de offic. vic. in 6. cap. unic. in princ. ne sede vacant. in 6.* quia ut dicitur in *cit. cap. 2. de translat. episc.* Idem est non habere Prælatum, ac inutilem seu impotentem habere. Quanta est diuturna absentia Prælati, veluti si captus aut detentus sit ab hostibus, aut alias in remotis degat, aut illius præsentia brevi non possit sperari. *d. cap. un. §. fin. ne sede vacant. in 6. cap. 3. de supplend. negl. Prælat. in 6.* Nam etiam in tali casu est quoddam divortium matrimonii spiritualis, dum Prælatus non cohabitatur ecclesiæ, suæ sponsæ. *argum. cit. cap. 2. de translat. episc.*

Hæcque sedis vacatura si primo vel secundo modo contigerit, eo usque durat, donec novus Prælatus electus, ac confirmationem vel jus administrandi per speciale privilegium adeptus fuerit, *argum. can.*

can. quoniam. 1. dist. 100. Si autem tertio & quarto modo vacatura contigerit, usque ad tempus soluti impedimenti, vel instituti reditus extenditur. Per textum *in can. sicut alterius 39. can. pastoralis. 42. caus. 7. quest. 1.*

11 Resp. 1. Capitulum sede vacante succedere in potestatem episcopi, & posse omnia ad episcopum spectantia facere, quæ specialiter ipsi prohibita non sunt. Gutierrez, *Canon. q. q. lit. 7. cap. 11. num. 10.* Barbosa *ad cap. illa 2. ne sede vacant. n. 3.* Fagnanus *ibid. n. 6.* P. Engel *cod. tit. num. 6.* P. Wiestner *ibid. n. 4.*

Hæc responsio & regula probatur primo per textum *in cap. si episcopus 3. & cap. leg. de supplend. neglig. Prælat. in 6.* ubi sine exceptione vel restrictione dicitur: sede vacante capitulo facultatem *in spiritualibus & temporalibus* esse concessam. Secundo *in cap. his que. 11. de Major. & Obed.* ubi non obscure declaratur, capitulo post mortem cardinalis competere omnem potestatem, quam habuit cardinalis, præter ea quæ specialiter summus Pontifex sibi reservavit. Tertio: in Concil. Trid. *sess. 24. de ref. c. 16.* ubi sede vacante jubetur capitulum cathedrale Vicarium constituere, vel antiquum confirmare, qui nomine capituli administrationem gerat, ac futuro episcopo rationem officij, jurisdictionis & administrationis reddat; sicque indicatur totam

episcopi potestatem, penes capitulum principaliter residere.

Ratio est: quia in qualibet administratione generali censentur omnia comprehendere, quæ nominatim a jure vel ab homine non sunt excepta, *argum. cap. 4. & seq. de Procurat. in 6. cap. 8. cum seq. de R. 7. in 6.* cum ergo capitulum sede vacante habeat generalem administrationem, per textum *in cap. 42. de Elect. in 6.* nec alius adfit, qui potestatem demortui Prælati exercent, poterit omnia facere, quæ nominatim excepta non fuerunt.

Dissentiunt Panormitanus *ad rubric. tit. ne sede vacant.* P. Pirrhing. *ad eund. tit. n. 2.* ac proinde statuunt capitulo non competere facultatem, sede vacante quidquam agendi, nisi id expresse concedatur a jure; ex eo, quod rubrica tituli: *ne sede vacante aliquid innovetur.* sit negative concepta, ac indefinite prohibeat, ne quid in ecclesia vacante innovetur. Tum etiam opponunt *cap. illa 2. eod. tit.* ubi collatio beneficiorum interdicta legitur capitulo, ex ea ratione: *cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod capitulum vacante sede fungatur vice episcopi in collationibus præbendarum.* Sed Resp. 1. ad argumentum ex rubrica desumptum, eam non aliter intelligendam esse aut considerandam, quam edictum prohibitorium, cujus ea est indoles, ut omnia concedat, quæ specificè non prohibet. Per *cap. 23. de sponsal. L. 43. §. 1. ff. de Procurat.*

Bbb 2

Resp.

Resp. 2. Ad *cit. cap. illa. 2.* sub potestate administrandi, quam habet capitulum, non contineri potestatem alienandi, & quia libera collatio beneficii sapere videtur alienationem, *arg. cap. 15. de concess. prebend. recte dicitur, quod, cum specialiter capitulo non sit concessa, prohibita reputetur.*

Corollarium. Cum capitulum ad singulos actus sede vacante expediendos, admodum difficulter congregetur, in Concil. Trid. *cit. sess. 24. de reform. cap. 16.* Sancitum est, ut capitulum cathedrale unum vel plures economos fideles ac diligentes decernat, qui rerum ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Similiter est preceptum, ut officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem episcopi constituat, vel existentem confirmet, qui saltem in jure canonico sit Doctor vel Licentiat, vel alias quantum fieri poterit idoneus &c.

13 Corollarium 2. Sicut capitulum sede vacante succedit in potestatem episcopi, ita pariter potestas & jurisdictio Prælati sede vacante transit ad conventus vel capitula regularia; prout decidit S. Rota Romana in *Recent. p. 1. decis. 346. n. 1. & seqq. Penormitanus in cap. novit. 1. ne sede vacant. sub n. 5. & in cap. ult. de statu Monach. n. 8. & 9.* P. Engel *tit. ne sede vacant. n. 16.* D. König. *ibid. n. ult.* D. Franciscus Schmier *Tr. de Pers. reb. & Jur. eccles. p. 1. c. 4. sect. 2. §. 2. n. 57.* & non obscure de-

ducitur ex *cap. ult. de regular. in 6.* ubi susceptio Monachorum ad professionem sede vacante dicitur ad conventum pertinere, si de consuetudine pertineat ad Prælatum simul & conventum. Tum ex *clement. ne in agro. §. si quis de statu Monach.* Ubi collatio beneficiorum, abbate suspenso, conventui tribuitur.

Ratio est, quia dum major est communio jurium & bonorum inter prælatum & capitulum regulare, quam inter episcopum & capitulum cathedrale, omnino conveniens & æquum est, ut dum sedes prælati regularis vacat, illius potestas ad capitulum regulare devolvatur.

Quæres 4. Quos actus Jurisdictionis in specie capitulum sede vacante exercere possit?

Nota. Distinguendum esse inter actus jurisdictionis ordinariæ, extraordinariæ & delegatæ, contentiosæ & voluntariæ; & denique inter actus jurisdictionis voluntariæ, qui ex aliqua necessitate, & qui sine necessitate peraguntur. Hinc

14 Resp. 1. Capitulum sede vacante potest exercere omnes actus jurisdictionis contentiosæ ad prælatum jure ordinario spectantes, textus est in *cap. 24. de Elect. in 6.* & patet etiam responsio ab inductione. Actus ad jurisdictionem contentiosam revocabiles jure ordinario sunt: 1. Cognitio de causis beneficialibus, decimaribus, matrimonialibus, clericalibus, criminalibus, 2. Sententia censura eccle-

4. Com-

fiastica. 3. Visitatio Dioceseos. 4. Compulsio executorum in testamento nominatorum, ad exequenda legata pia, &c. textus in *cap. 1. cap. 16. de offic. judic. ordin. c. 2. c. 4. cap. 18. de foro compet. cap. 3. de testam. cap. 1. de consanguin. & affin.* Atqui hos & similes actus capitulum sede vacante potest exercere, per textus in *cap. his qua. 11. de Major. & obed. cap. 7. de eo, qui duxit in matrim. cap. 3. cum seq. de supplend. neglig. Pralat. in 6. cap. 9. de heretic. Clement. 1. §. propter. eod.* Ergo, quidam excipiunt visitationem, ob textum in *cap. ult. de supplend. neglig. Pralat. in 6.* in quo Bonifacius VIII. *Ecclesie, inquit, Cathedrali vacanti visitator ab alio, quam à Romano Pontifice, deputari non potest.* Sed si textus penitus inspiciatur, non loquitur de visitatione subditorum à capitulo facienda, sed de administratore generali, in ecclesia cathedrali, sede vacante deputando, cum ejusmodi deputatio sit una ex causis majoribus, ac per illam capitulo sua potestas adimatur, ideo summo Pontifici reservata, nec Archi-Episcopo aliter est concessa, quam si *capitulum in spiritualibus & temporalibus sit negligens, aut perperam administrat.* Rota Romana in *Recent. p. 3. decis. 166. n. 2. 3. & 4.*

15 Resp. 2. Quæ ex jurisdictione delegata exercentur à Prælato, non transferuntur ad capitulum. Barbosa *de offic. & potest. Episc. alleg. 92. n. 17.* P. Engel *ad tit. ne sede vacant. sub num. 1. D. König. ibid. num. 11.*

D. Francisc Schmier *loc. cit. §. 3. n. 64.* & probatur per textum in *cap. Pastoralis. 11. §. præterea. de offic. judic. ordin.* ubi indicatur delegato sedis Apostolicæ quoad jurisdictionem neminem succedere, nisi summum Pontificem, aut alium delegatum, in onere & honore similem. Hinc infert cum Barbosa *loc. cit. alleg. 73. n. 25.* P. Wiestner *ad tit. ne sede vacant. n. 15.* Capitulo cathedrali non competere facultatem, exempta monialium monasteria visitandi, quippe cum episcopis, tanquam sedis Apostolicæ delegatis concedatur. *Clement. ult. de stat. Monach. Trid. sess. 25. cap. 9. de regular.*

Resp. 3. Actus jurisdictionis voluntariæ, quos jure ordinario prælatus ex quadam necessitate debet exercere, potest etiam capitulum exercere. Textus generalis est in *cap. 42. de Elect. in 6.* Ratio desumitur ab inductione. Actus Jurisdictionis voluntariæ, quos jure ordinario prælatus ecclesiasticus ex quadam necessitate propter jus alteri suo modo jam acquisitum debet exercere, sunt institutio in beneficiis, approbatio ad curam animarum, acceptatio resignationis beneficiorum; confirmatio electionum, absolutio à censuris, &c. per textus in *cap. 1. cap. 3. cap. 16. de offic. judic. ordin. cap. 4. de renuntiat. cap. 4. de Archi-Diac. cap. 18. de præscript. cap. 3. de Institut.* Sed recensitos actus potest capitulum exercere sede vacante, *cap. 14. de major. & obed.*

obed. cap. un. eod. in 6. cap. 1. de institut. in 6. Ergo &c.

Dixi: *Jure ordinario.* Quæ enim Prælati non vi officii sed jure extraordinario atque ex speciali sedis Apostolicæ indulgentia & benignitate, vel per constitutionem generalem sunt concessa, sicuti dispensatio in irregularitate ex delicto occulto suborta, per Trid. *sess. 24. de reform. cap. 6.* Episcopis est indulta, vel per privilegium speciale, sicuti dispensatio in tertio vel quarto consanguinitatis aut affinitatis gradu, item dispensatio quoad ordinationes extra tempora nonnullis specialiter concessa, sede vacante non transferuntur ad capitulum. P. Engel *ad tit. ne sede vacant. n. 1.* Ratio est, quia generalis administratio, quam circa jurisdictionem Prælati fortitur capitulum, ea neutiquam comprehendit, quæ jure speciali conceduntur. *argum. cap. 2. fin. de offic. Vicar. in 6. cap. 5. de Procuras. in 6. cap. 81. de R. J. in 6.*

Resp. 4. Actus jurisdictionis voluntariæ, quos ex libera voluntate Prælati exercet, nequit sede vacante capitulum exercere.

Prob. Ad jurisdictionem voluntariam, quam ex libera voluntate citra jus partis Prælati exercet, potissimum reducitur dispensatio in votis, juramentis, beneficii &c. Sed talis dispensatio vix capitulo adstruenda videtur, quandoquidem nec ulla necessitas nec utilitas suadeat, tam largam potestatem capitulo indulgere, sicuti nec utile

nec necessarium videbatur, collationem beneficiorum capitulo tribuere, per *cap. 2. ne sede vacant. ergo &c.* Si tamen eveniret casus, quo dispensatio prudenter denegari non posset, puta si periculum in mora versaretur, tunc cessaret ratio hujus responsionis, & locum haberet dispensatio. P. Engel. *l. c. n. 10.* D. König *ibid. n. 10.* D. Franciscus Schmier *Tract. de Pers. reb. & jur. eccl. p. 1. c. 4. sect. 2. §. 3. n. 70.*

Resp. 5. Sede vacante capitulum succedit in jurisdictione temporali territoriali, ejusque juribus & prærogativis, & fere proportionem, sicut in spirituali, juxta consuetudinem imperii Romano Germanici per instrumentum pacis Westphalicæ. *art. 5. §. 17. & §. 21. seu declaratam seu confirmatam.* Gailius *Pract. obser. lib. 1. observ. 30. per tot.* Hinc pleraque jura statibus imperii qua talibus communia, ac ea quæ jurisdictionis ordinariæ sunt, nec non regimen & administrationem territorii concernunt, qualia sunt interesse comitiis, dare suffragium, exercere justitiam in causis civilibus & criminalibus &c. exercet capitulum ecclesiæ imperialis sede vacante, per *cit. art. 5. §. 21. Pacis Westphalicæ.* E contra jura ac prærogativæ extraordinariæ, quæ dignitati ac præminentia defuncti præfulis annexa sunt, qualia sunt eligere imperatorem, convocare Electores ad electionem Cæsaream, dirigere comitia imperii, ad capitulum non devolvuntur, veluti

uti probant & præjudicia referunt. Bernardus Mulz. in *represent. Majest.* p. 3. cap. 16. §. 4. n. 48. D. Hermes *fasc. jur. publ. cap. 6. n. 51.*

Resp. 6. Capitulum sede vacante potest exercere omnes actus, per quos futuro successor nullum præjudicium causatur. Desumitur hæc responsio per argumentum a sensu contrario ex *rubrica & cap. 1. ne sede vacant.* ejusque ratio est, quia successor in Prælatura non potest conquiri de gestis & actis a capitulo sede vacante, quando nullum exinde præjudicium subire potuit; & ideo ejus generis acta & gesta, non possunt esse capitulo prohibita. Hinc infertur: quod capitulum possit facere statuta, successor Prælato ejusque juribus, prærogativis, vel præminentia non præjudicantia, ac eousque duratura, donec a successore reformentur. 2. Quod capitulum possit synodum congregare. Rota Rom. p. 4. tom. 2. *decis. 407. n. 13.* non aliter tamen, nisi necessitas subsit. 3. Quod subsidium charitativum possit exigere. Glossa in *cap. 16. V. aliunde de Elect.* in 6.

Resp. 7. Capitulum non potest sede vacante, quemcunque actum jurisdictionis exercere, per quem successor Prælatus damnum aliquod subire posset. Constat ex *rubrica & cap. 1. ne sede vacant.* ubi datur ratio, quod sede vacante non sit, qui *episcopale jus tueatur.* Hinc infertur: capitulum non succedere in libera beneficiorum collatione

ad Prælatum spectante, tamen ad eorum collationem, consensus aut consilium capituli desideretur. c. 2. *ne sede vacant. cap. un. §. cum vero. eod. in 6. cap. 1. de institut. in 6.* Secus est, si collatio non sit omnino libera, sed ex negligentia inferiorum collatorum devoluta; item si ad Prælatum & capitulum communiter & ita pertineat, ut & capitulum unum suffragium habeat & Prælatus unum. *dict. cap. un. princ. in 6.* Infertur 2. Neque jus nominandi vel præsentandi clericos soli Prælato competens, ad capitulum devolvi argum. *cap. ult. de concess. præbend.* ubi præsentatio vocatur *donatio*, quæ capitulo interdicitur. *cap. 4. de offic. judic. ordin.* Infertur 3. capitulo non licere res ecclesiæ, nisi servando non sint servabiles, distrahere, minus in utilitatem propriam convertere. *can. 42. caus. 12. quest. 2. cap. 40. & 42. de Elect. in 6. clement. 7. eod.* Præterquam si tam urgens imminet necessitas, ut in tempus futuri successoris non possit differri. Quarto: litem super rebus ecclesiæ non tantum inchoari, sed etiam continuari non posse a capitulo. *cap. ult. ne sede vacant.* Non tantum si capitulum sit cathedralis, sed etiam si regulare vel collegiale sit, & vacatura non sit adeo diuturna. Panormitanus ad *d. cap. ult. num. 5.* P. Engel *cit. tit. num. ult.*

Resp. 8. Capitulum sede vacante succedit in potestate ordinis eo sensu, ut possit actus ordinis aliis episco-

episcopali caractere præditis exercendos committere, non autem per se exercere. Textus est in *cap. 3. de tempor. ordinat. in 6.* Van Espen *J. E. U. p. 1. tit. 9. cap. 2. n. 6.* Ratio est, quia potestas ordinis cum fluat ex caractere episcopali, nequit ad capitulum tali caractere destitutum, eatenus transire, ut actus ordinis per se valeat exercere; quia tamen commissio seu delegatio actuum ordinis, pertinet ad potestatem jurisdictionis, capitulo non est prohibitum, alteri qui caractere episcopali fulget, actus ordinis demandare. *argum. cap. 11. de Elect.* Restricta tamen hæc potestas legitur in *Trid. Sess. 7. de reformat. cap. 10. ut non liceat capitulis ecclesiarum sede vacante, infra annum a die vacationis, ordinandi licentiam, aut litteras dimissorias alicui concedere, qui beneficii recepti vel recipiendi occasione archatus non fuerit.*

Quæres 5. In quibus casibus debeant singuli de Capitulo sede non vacante consentire?

¹⁹ Prælato tum sæculari tum regulari competit quidem generalis potestas, ea omnia agendi & tractandi, quæ vergunt in bonum & utilitatem ecclesiæ, per textum in *can. 9. caus. 18. quest. 2. cap. 1. cap. 16. de offic. jud. ordin. cap. 19. in fin. de Elect.* Attamen quia tam arcta est conjunctio inter prælatum & capitulum, ut hoc rationem corporis & hic rationem capitis habeat, æquum omnino est & rationi consonum, ut Prælati in suis actionibus, sal-

tem si magis sint arduæ & momentosæ, tum ad majorem unionem & concordiam servandam, tum ad ipsa negotia maturius & securius agenda, desuper cum capitulo tractet, & vota capitularium exquirat. *cap. 4. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* quare Ss. canones saluberrime statuerunt, ut in quibusdam negotiis prælatus *Consensum* capituli, in quibusdam *consilium* duntaxat adhibere teneatur, eo quidem effectu, ut ubi *consensus* capituli requiritur, prælatus debeat sub periculo nullitatis totius capituli, vel majoris partis mentem & conclusionem amplecti. *cap. 1. cap. 6. cap. 8. & passim. de his, quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* ubi vero consilium duntaxat exigitur, non potest quidem consilium citra nullitatem actus omitti, attamen satis est cum capitulo in unum convocato deliberare, ac audire solum consilium, non tamen sequi. *cap. 52. de Elect. cap. 7. de arbitr. l. 17. §. fin. ff. de recept. qui arbitr. recep.* Saluberrima sanè tunc erit gubernandi ratio, si prælatus fratrum concordiam amplectatur. nihil despoticè, nihil potestate dominica, nihil proprio inductus delirio aut infirmitate agat, juxta monitum sapientis: *Omnia fac cum consilio & post factum non pœnitebis.* Cum enim plus videant oculi, quam oculus, & magis integrum sit judicium, quod plurium interventu perficitur, *cap. 21. in fin. princ. de offic. & potest. Judic. delegat.* utique perfectior erit actus

actus, ad quem prælatus suorum capitularium sensa prærequirit, nec facile poterit contra communem opinionem aliquid attentare, si prudens sit ac bona conscientia præditus. His prænotatis:

Resp. 1. Singuli de capitulo consentire debent toties, quoties de jure singulorum capitularium amittendo vel minuendo agitur. Hanc regulam tradunt Fagnanus *ad cap. cum in cunctis. 1. de his, quæ fiunt à major. Part. capit. n. 10.* P. Engel. *ad n. 1. n. 13.* D. König. *ad eund. tit. d. ult.* pro aliis communitatibus laicis hanc regulam ponunt Lymnæus *ad Jus Publ. lib. 9. cap. 1. n. 187.* Berlich. *aurear. decis. 25. n. 4.* Befoldus *Thesaur. Pract. sub verb. meiste Stimmen.* Struvius *ad tit. ff. quod cujuscunque univers. nomine tbes. 43.* D. Francisc. Schmier. *loc. cit. §. 4. num. 94.*

Probant hanc regulam textus in *cap. 56. de R. I. l. 11. ff. de servitut. præd. rustic. l. 28. ff. commun. divid.*

Ratio est: quia, quod omnes tangit ut singulos, à singulis est approbandum. *cap. 59. de R. I. in 6.* alias sequitur, quod alteri per alterum iniqua conditio generetur, ac jus præhabitu invitis auferatur, contra *cap. 22. & seq. eod. tit. l. 11. l. 13. C. de Contrah. Empt.* hinc deducitur, si agatur de sustentatione capitularium minuenda, singulorum, in quorum præjudicium tendit diminutio, consensum requiri.

21 Resp. 2. Major consensus capituli nunquam requiritur, nisi in

casibus jure specialiter expressis. Hanc regulam recipiunt Vallensis *ad tit. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit. n. 3.* P. Engel. *eod. tit. Schambogen ibid. n. 2.* Van Espen. *J. E. II. p. 1. tit. 8. cap. 4. n. 5.*

Ex casibus in jure expressis est:
1. Alienatio rei immobilis, vel mobilis pretiosa. 2. Est præsentatio clericorum ad beneficia, in quibus ecclesiæ vel monasterio competit jus patronatus, debet enim prælatus clericum à majori parte capituli designatum præsentare. *cap. 6. de his quæ fiunt à Prælat. sine consens. capit.* Tertius est unio beneficiorum, in qua si fiat alicui collegio vel monasterio vel etiam canonicatui, consensus capituli est necessarius. *cap. 8. d. 1. clement. ult. de reb. Eccles. non alien. imò post Concil. Trid. sess. 24. de Reform. cap. 13.* quoad unionem beneficiorum curatorum, est necessarius consensus Papæ, nisi, ut limitant Barbosa *ad cit. l. Trid. n. 10. & seqq.* P. Engel *ad cit. tit. de his. num. 3.* Unio fiat pro fundatione, donatione & conservatione monasterii vel collegii. Quartus est, quando prælatus sive per contractum mutui sive per aliam conventionem intendit obligare suam ecclesiam, hæc enim nisi major pars capituli consentiat, obligari nequit. *cap. 1. de deposito. cap. 4. de fidejuss. cap. 2. de solut.* Rota Romana *in Recent. p. 14. decis. 42. per tot.* Quintus est, quotiescunque versatur commodum & emolumentum capituli qua talis, veluti si agatur

Ccc

de

de augmento vel suppressione canonicorum vel religiosorum. c. 33. de prabend. in 6.

Porro in casu, in quo majoris partis assensus requiritur, tot de capitulo debent consentire, ut numerum absolute majorem respectu omnium capitularium legitime convocatorum & praesentium (absentes enim, qui vel vocari non debent, vel vocati non comparent, non reputantur) conficiant; nec attenditur pluralitas respectiva, seu quae talis est, respectu partis minoris. Et ideo si capitulares 24. essent praesentes, deberent saltem 13. consentire, nec sufficeret, si 12. consentirent, 10. dissentirent, 2. vota suspenderent. cap. 48. cap. 55. de Elect. cap. 1. cap. 3. cap. ult. de his, quae fiunt à maj. part. cap. 3. Quod si vota capitularium sint paria, Prælatus suo consensu majorem partem efficere nequit; quia in actibus, in quibus prælatus assensum majoris partis de capitulo requirere tenetur, capitulum consideratur, quatenus est aliquid distinctum & separatum à capitulo; cap. 8. cap. 9. de his quae fiunt sine consens. cap. 1. cap. ult. de his quae fiunt à major. part. cap.

Quæres 6. In quibus casibus requiratur consilium Capituli?

Resp. In casibus, qui sunt alicujus momenti, nec tamen consensui capitulari de jure alligantur, plerumque requirendum est consilium capituli; inter ejusmodi casus numerantur: 1. statuta, quae sine consilio capituli sancita non valent,

cap. 5. de his quae fiunt à Prælat. sine consens. capit. Secundo actiones & lites ecclesiae nomine à prælato instituendæ, si rem alicujus ponderis concernant. Tertio institutiones & destitutiones clericorum, nec non confirmationes & depositiones abbatum & abbatissarum. cap. 4. de his, quae fiunt à prælatis. Quarto inquisitiones, correctiones & punctiones excessuum, ac judicia rerum majorum. cap. 5. dict. tit. arg. cap. 3. de consuet. in 6. Ubi tamen teste P. Engel & Wiestner contraria consuetudo invaluit. Quinto processus judiciarius, si contra unum de capitulo cathedrali formandus, ad quem tenetur episcopus vel ejus vicarius assumere duos de capitulo ab initio cujuslibet anni à capitulo designandos, ita tamen, ut utriusque capitularis votum pro uno duntaxat reputetur, possitque alter episcopo accedere, & si uterque dissenserit ab episcopo vel vicario, tertius eligatur; & si neque in eligendo tertio conveniunt, res ad viciniorem episcopum devolvatur; Trid. sess. 25. de reformat. in 6. quam constitutionem ad sola capitula cathedralia exempta pertinere, præter alios à se relatos docet D. Francisc. Schmier. cit. tract. §. 4. n. 137.

Hactenus de jure canonicorum collegialiter spectatorum, sive de jure capituli & corpore canonicorum, nunc de obligationibus canonicorum singulariter spectatorum dicendum superest; inter onera canonicorum primo venit obligatio
refi-

residenti in loco sui canonicatus, ita ut canonici cathedrales ultra tres menses à suis canonicatibus abesse non possint, & contrafacientes, præterquam quod fructus pro rata temporis absentia suos non faciant, insuper primo anno media parte, secundo anno omnibus fructibus, etiam quos causa residentia jam fecerunt suos, eo ipso privantur. *Trid. sess. 24. de reform. cap. 12.*

24. Circa residentiam canonicorum valde utiles & quotidianæ difficultates occurrunt, quas antequam resolvam, ad meliorem intelligentiam notandum est primo. Quod redditus canonicatum sint duplices: & quidam dicuntur *fructus annui*, qui nimirum propter annuam residentiam in loco canonicatus dantur; alii verò dicuntur *distributiones quotidiane*, seu *presentia*, & dantur propter singulas presentias in choro & divino officio. Inde in concilio Tridentino *sess. 21. de reform. cap. 3.* & *sess. 22. de reform. cap. 3.* statuitur, quod in ecclesiis tam cathedralibus, quam collegiatis, in quibus nullæ sunt distributiones quotidianæ, vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertia pars fructuum & quorumcunque proventuum tam dignitatum quam canonicatum separari debeat, & in distributiones quotidianas converti, ac inter illos, qui divino officio intersunt, dividi juxta proportionem ab episcopo (etiam tanquam sedis Apostolicæ delegato,

casu quo capitulum vel aliqui canonici forent exempti) faciendam.

Notandum est secundo, quod canonici sæpe justam causam habeant, ob quam in loco canonicatus adesse non possint, nihilominus fictione juris presentes esse censentur; imo aliquando ista causa sunt specialiter in jure expressæ & privilegiatæ, ut ex illis absens canonicus non tantum pro presente in urbe, sed etiam pro interessente, ut loquuntur, divinis officiis habeatur, & consequenter præter fructus annuos, etiam in absentia distributiones quotidianas lucretur.

Quæres 7. *An pro residente haberi debeat, qui est in civitate quidem presens, sed nunquam Ecclesiam frequentat?*

Resp. De Jure concilii Tridentini ad residentiam canonicorum requiri non tantum, ut in civitate presentes sint, sed etiam, ut divina officia & quidem per se non per substitutos peragant; sicut habetur in *cap. 12. sess. 24. de reform.* Canonicos tamen per se in choro psallere & cantare non debere, ut decantatio & psalmodia tanto melius instituatur; usu receptum esse, ait Zypæus in *annal. jur. Pontif. de cleric. non resident. n. 28.*

Quæres 8. *Quando Canonicus absens debeat haberi pro residente?*

Resp. 1. Si canonicus absit ex causa necessitatis propter quam residentia moraliter sit impossibilis, vel saltem admodum periculosa, v. g. propter infirmitatem, insidias

hostiles, pestem, fatis est expeditum, quod ob tales causas absens canonicus fictione juris pro residente habeatur, & ad minus fructus annuos lucretur.

27. Resp. 2. Absens ex causa utilitatis privata, ad promovendum suum privatum commodum, instituendam œconomiam in bonis suis, non habetur pro residente, licet dispensationem de non residendo à summo Pontifice obtinuerit, nisi specialiter etiam super perceptione fructuum fuerit cum eo dispensatum; alias enim talis dispensatio solum operabitur, ut absens canonicus ad residentiam urgeri, vel suo beneficio privari non possit; Rebuff. *in prax. benefic. & dispens. de non resid. n. 60. Glossa in cap. relatum. 4. in V. pralatum. de cleric. non resident.*

28. Resp. 3. Pro residente habetur, qui abest pro utilitate sui canonice vel ecclesie cathedralis, ad tuenda vel prosequenda jura ejus *cap. 13. de Cleric. non resident.* Secundo: quia episcopus potest habere secum duos canonicos, qui ipsi in gubernanda diœcesi collaborant, hi canoci, quamvis nunquam chorum frequentent, habentur tamen pro presentibus & residentibus, saltem ad lucrandos fructus annuos. *cap. 7. cap. 15. de cleric. non resident.* Tertio pro residente etiam habetur, qui in aliquo Gymnasio, Universitate (non autem in villa vel loco privato, ubi nullum vel modicum est literarum exercitium) cum licentia episcopi, studuerit vel do-

cuerit, *cap. 4. cap. 12. de Cleric. non resident.* imo licentiam episcopi potius de honestate quam necessitate petendam esse, atque idem obtinere in omnibus casibus, in quibus jus reputat legitimam causam absentiae, docet P. Engel. §. 3. *sub n. 28. de cleric. non resid.*

Quæres 9. *An Canonici absentes tribus mensibus sibi à jure concessis, sicut lucrantur fructus totius anni, ita etiam lucrentur distributiones quotidianas?*

Resp. Negative, ita à sacra congregatione Cardinalium decisum esse, ait P. Engel. *loc. cit. n. 34.* & Zerolla ab eo relatus. Ratio est, quia licet absentia trium mensium sit inculpabilis, & à jure permessa, non tamen est specialiter ad lucrandas distributiones privilegiata. Et hæc obligatio ad residendum, una est ex potissimis, quibus canonici obstringuntur, ut fructus percipere possint.

Nunc superest quærere, de quibus bonis Canonici alique clerici possunt testari? Quoniam vero *in cap. 8. cap. 9. cap. 12. de testament.* statuitur, quod clerici de bonis intuitu ecclesie aut titulo beneficii acquisitis, per viam testamenti nequeant disponere, ex ea ratione, ut hac via clericis motivum adimeretur, congregandi divitias, quas multi gloriæ illecebra illecti insatiabiliter pararent, forte quia nomen suum æternitati cuperent transcribere, ac in liberalitatis suæ monumentis etiam post mortem superstites vivere; tum quia clerici in eminenti admo-

dum

dum vitæ gradu sunt constituti, ad eminentem etiam virtutem excitandi erant, ac pelliciendi, ut sua inter vivos largirentur. De quibus ergo bonis clerici testari possunt:

30 Notandum 1. bona clericorum dividi in sæcularia & clericalia. Sæcularia sunt quæ iisdem obveniunt ex causa profana seu titulo sæculari, absque respectu ad ordinem seu beneficium ecclesiasticum, hujus generis sunt, quæ acquirunt titulo successionis, donationis, & universim, quæ habent aliunde, quam intuitu & ratione ministerii alicujus ecclesiastici. Clericalia sunt, quæ acquirunt ratione ministerii ecclesiastici.

Nota 2. Bona clericalia ulterius dividuntur in vere & quasi talia; vere talia sunt, quæ clerici acquirunt proxime intuitu ac titulo beneficii ecclesiastici, ut sunt decimæ, & stipendia annua fixa: quasi talia sunt, quæ acquirunt quidem occasione ac titulo ministerii ecclesiastici, non tamen proxime nomine ac titulo beneficii. Hujus generis sunt stipendia missarum, concionum, officiorum funeralium, ac universim omnes redditus stolarum.

Nota 3. Bona clericalia vere talia ulterius dividuntur in necessaria & superflua. Necessaria sunt, quibus clericus indiget ad necessariam sustentationem. Superflua: quæ ultra decentem & statui convenientem sustentationem remanent. Ad congruam sustentationem autem non ea tantum perti-

nent, quæ ad alendam personam clerici & familiæ sunt necessaria, sed etiam quæ titulo hospitalitatis in consanguineos aut peregre adventantes sunt eroganda. Item donationes tum remuneratoriæ tum mere gratiæ, juxta statum tamen moderatæ, nec non aliæ honestæ recreationes, relaxando corpori & animo cum amicis decenter institutæ; hæc omnia enim pertinent ad statum & congruam sustentationem hominis, ac a viro honesto, & in societate politica vivente, ultra labem avaritiæ omitti nequeunt, his prænotatis:

Quæres II. De quibus bonis canonici aliique clerici testari possunt?

Resp. 1. Canonici aliique clerici³¹ de bonis sæcularibus seu patrimonialibus possunt ad quascunque causas libere testari. ita omnes. ratio est, quia clerici sunt absoluti horum bonorum domini. Ergo possunt de iisdem liberrime testari. Neque enim dispositio juris, neque votum clericis obstat, quo minus de bonis suis ad quascunque causas libere disponere possint; et si enim in primitiva ecclesia voto paupertatis obstricti fuerint, & in communi vixerint, postea tamen communitas illa displicuit; adeoque possunt hodie de iisdem ad quascunque causas liberrime testari.

Resp. 2. Etiam de bonis clericis³² libus quasi talibus, possunt canonici aliique clerici ad quascunque causas liberrime testari. Ita rursus omnes. ratio est, quia hæc bona ob-

veniunt canonicis & clericis sine onere expendendi illa in usus pios, ergo possunt de iisdem ad quascunque causas libere testari. Antecedens patet ex eo, quia bona hæc dantur clericis tanquam stipendium præstiti servitii personalis: ergo sine onere expendendi illa in usus pios; quia labor iste recipit æstimationem, adeoque stipendium eis respondens habet se per modum justæ mercedis, quæ novum onus non affert, quia est compensatio oneris præcedentis.

33 Resp. 3. Etiam de bonis clericalibus vere talibus possunt clerici libere testari, si defraudando genium, de congrua sustentatione illa subtraxerint. Ita iterum communiter Doctores. Ratio est, quia talia bona transeunt in absolutum dominium clericorum, ac induunt naturam bonorum patrimonialium, ergo possunt clerici de iisdem ad quascunque causas libere testari. Antecedens probatur ex eo, quia talia bona possident clerici titulo congruæ sustentationis: ergo acquirunt absolutum eorum dominium, quia ex una parte titulus congruæ sustentationis est habilis ad tale dominium tribuendum, & ex altera censentur clerici tantum juris velle acquirere, quantum possunt. Et confirmatur ulterius ex eo, quia portio ad congruam sustentationem necessaria, debetur clericis tanquam justa merces laboris personalis, quem ecclesiæ impendunt; ergo acquirunt absolu-

tum ejus dominium, ergo possunt de eadem liberrime disponere, adeoque etiam testari.

Resp. 4. De bonis clericalibus³⁴ vere talibus, sed superfluis canonici aut alii clerici neque ad causas profanas, neque pias testari possunt de jure communi. Ita habetur in *cap. 8. 9. & 12. de testament.* ubi generaliter asseritur, quod clerici de rebus intuitu ecclesiæ acquisitis, testari nequeant. Neque tamen hinc sequitur clericos de nullis plane rebus testari posse. Esto enim recitati textus generaliter loquantur, recepta tamen ecclesiæ praxis, eosdem ita interpretata est, ut loqui censeantur de rebus superfluis, cui proinde standum est, quia consuetudo habet vim legis authentice interpretandi. *cap. 8. de consuet. l. 31. l. 38. ff. de LL.*

Gravior controversia superest,³⁵ an possit licentia testandi de rebus superfluis consuetudine introduci. Prima sententia negat, cum *Molina de J. & J. disp. 147. num. 31. Lesio lib. 2. de J. & J. cap. 19. dub. 4. n. 44. Pirrhing. ad tit. de testam. n. 22. & aliis pluribus magnæ notæ AA.* Altera sententia affirmat, ita *Fachin. lib. 5. contr. cap. 84. Zoësius ad tit. decretal. de testam. n. 4. Hauld tract. 4. de J. & J. c. 2. contr. 2. num. 82. & tract. 6. c. 4. contr. 7. n. 258.*

Nota: satis certum esse, quod loquendo de hodierno ecclesiæ usu, canonici aliique clerici reddituum omnium efficiantur domini, Ita coll-

colligitur ex Trident. *sess. 22. cap. 3. & sess. 24. cap. 12. de reform.* ubi de clericis non residentibus dicitur, quod fructus suos non faciant, sed privari iisdem mereantur, quos lucrati alioquin fuissent, ergo clerici alii faciunt fructus suos, eosque lucrantur. Quod si qui canones vel textus SS. Patrum videantur refragari, ii dicendi sunt loqui vel de primo ecclesie statu, quo nondum inducta erat divisio honorum, vel de bonis ecclesiasticis in specie talibus, quorum scilicet clerici meri sunt administratores, vel denique de casu extremae aut gravis necessitatis, quo urget præceptum charitatis.

Resp. 5. Obligatio clericorum non expendendi superflua in usus profanos, non est ex jure naturæ, sed unice ex lege positiva ecclesiastica. Probat: si obligatio hæc juri naturali cunabula sua deberet in acceptis, esset vel ex justitia, vel religione vel charitate. Non primum: quia, si foret ex justitia, tam dantes, quam accipientes obligarentur ad restitutionem ecclesie vel pauperibus faciendam, hancque restitutionem tenerentur prælati ex officio urgere; sed eandem non urgent: Ergo signum est, quod obligationem justitiæ non agnoscant. Non secundum: quasi obligatio hæc esset ex virtute religionis, tunc ideo esset, quia redditus ecclesiastici vocantur a Trident. *res. & bona Dei*; hæc autem ratio nimium probat, alias enim etiam mu-

fici, alique officiales laici, qui ex redditibus ecclesie aluntur, tenerentur superflua in pios usus erogare. Dicuntur etiam memorati redditus bona Dei in acceptione latiore, quatenus videlicet mediate saltem ad cultum divinum destinati; eo quod sustentationi clericorum deserviant, quorum principale munus est divinis officiis vacare. Neque denique memorata obligatio clericorum descendet ex virtute charitatis, si enim ex hac descenderet: fundaretur in perfectione status clericalis, quod etiam dici non potest, quia non minus bona clericalia quam sæcularia afficeret, cum christiana charitas non respiciat certa bona, sed generaliter ac indeterminate obliget ad sublevandam indigentiam eorum, qui in extrema aut gravi necessitate sunt constituti. Cum igitur omnes in canonicis & reliquis clericis agnoscant obligationem specialem, superflua in pios usus erogandi, necessario fluit, hanc obligationem ex charitate non esse.

Resp. 6. Legitima consuetudo³⁶ induci potest, ut Clericis ad causas pias testari liceat de superfluis. Ratio. quia pium ac laudabile est, sua per viam testamenti in pios usus erogare. Ergo testamentum tale ex parte objecti nullum includit vitium, adeoque potest consuetudine reddi licitum.

Resp. 7. Potest insuper consuetudine induci, ut testamentum de superfluis ad causas profanas factum

Etum sit validum. Ratio. Canonici & Clerici sunt absoluti omnium reddituum Domini, & possunt de iisdem inter vivos ad quascunque causas validè disponere. Ergo dum de jure communi ita testari nequeunt, poterit hæc prohibitio legis positivæ humanæ contraria consuetudine abrogari.

Resp. 8. Potest denique consuetudine induci, ut testamentum de superfluis ad causas personas factum sit licitum. Ratio, quia obligatio non expendendi superflua in usus profanos, unice ex lege ecclesiasticâ. Ergo potest consuetudine contraria tolli, quia ipsa quocunque lex, qua inducta est, potest tolli; 2, de factò in pluribus locis

canonici & clerici de superfluis ad quascunque causas liberrimè testantur. Ergo potest talis licentia introduci, alioquin superiores ecclesiastici sine dubio reclamarent, nec paterentur tot animas gravibus peccatis illaqueari.

Corollarium, Covarruvias in cap. 7. n. 9. de testam. Azor. p. 2. l. 7. c. 9. qu. 1. Lessius lib. 2. de J. & J. cap. 19. n. 43. Zoësius ad decret. de testam. n. 7. Barbosa in collectan. incit. c. 7. de testam. n. 6. & 7. affirmant consuetudine receptum esse in Gallia & Hispania, ut quicunque clerici beneficiati de redditibus superfluis licitè testari possint. Eadem consuetudo passim obtinuit in Germania.

§. IV.

DE PAROCHIS.

SUMMARIUM.

1. Parochia unde dicatur? 2. Ecclesia Parochialis quænam sit? 3. Parochus habet jus administrandi baptismum. 4. Jus distribuendi Eucharistiam suis Parochianis. 5. Jus administrandi extremam unctionem. 6. Assistendi matrimonio. 7. Quæ jura competant Parocho circa officia divina? 8. Recensentur jura, quæ competunt Parocho circa Parochianos gubernandos. 9. Describitur Jus sepulture. 10. In quo loco extra Parochiam liceat eligere sepulturam? 11. Emolumenta,

quæ conferuntur per jus sepulture. 12. An jurisdictionem ordinariam habeant Parochi? 13. Ecclesie Parochiales eriguntur & constituuntur à solo Episcopo. 14. A quibus reparari debeant Ecclesie Parochiales? 15. An Patroni teneantur ad refectionem Ecclesie Parochialis concurrere? 16. Decimatores tenentur concurrere ad reparationem Ecclesie Parochialis. 17. Officium Decani ruralis. 18. An habeat jurisdictionem ordinariam?

Ecclesia

1 Ecclesia parochialis nomen suum trahit à Parochia, sic nominata: quod sit partitio curæ & muneris pastoralis inter episcopum & alios sacerdotes; sicut ipsamet diœcesis, in quâ episcopus curam & jurisdictionem exercet, antiquitus est dicta parochia, eo quod ipsemet episcopus fuerit principalis Parochus. *can. 4. cum 2. seqq. dist. 92. cap. 3. de paroch.*

Ecclesia parochialis alio nomine vocatur *parœcialis*, & parochia quandoque appellatur *Parœcia*, *cap. 2. & 4. de paroch. cap. 1. ne cleric. vel monach. in 6. describi autem potest ecclesia parochialis, quod sit ecclesia, cui præest presbyter ad curam animarum, intra certos limites ex officio exercendam, autoritate ecclesiastica deputatus.*

Dicitur 1. *Ecclesia cui præest Presbyter.* sicut enim ecclesiæ cathedrali præest episcopus, ecclesiæ collegiatæ præpositus, ecclesiæ regulari Abbas, prior vel alius prælatus, ita ecclesiæ parochiali præest presbyter seu parochus, alias dictus Rector parochialis, aut plebanus, et si in strictiori significatione plebanus sit, qui præficitur ecclesiæ plures sub se ecclesias vel capellas habenti: *cap. 1. ne cleric. vel monach. in 6. Barbosa J. E. II. lib. 1. cap. 18. n. 5.*

Dicitur 2. *ad curam animarum exercendam.* Ubi cura animarum non accipitur in sensu laxiori, quatenus includit potestatem & jurisdictionem spiritualem pro foro externo & contentioso, juxta *cap. 54. §. verum. de elect.* sed in sensu strictio-

ri, quatenus denotat potestatem spiritualem pro foro interno & sacramentali. *argum. can. in novo. dist. 21. cap. 12. de pens. & remiss.*

Dicitur 3. *intra certos limites.* Quia cuius parochiæ certum territorium, certique fines ac limites sunt assignati, tum ut quilibet parochus suis finibus contentus, proprias tantummodo oves agnoscat, & alienas aliis relinquat; tum ut ipsamet oves seu parochiani sciant, a quonam in spiritualibus regi ac dirigi debeant. *Textus in can. 1. caus. 13. quest. 1. cap. 3. de Paroch. deficientibus autem limitibus ecclesia non censetur esse parochialis, sed potius filialis in subsidium curæ parochialis erecta; ut censuit S. Rot. Roman. p. 1. in recent. decis. 258. n. 6. p. 3. decis. 300. n. 6. & quod si de finium certitudine non constet, saltem illi fines incerti præscriptionem admittunt. can. 2. caus. 16. q. 4. cap. 9. de præscript. & quidem præscriptio quadragenaria in ejusmodi finibus comprobatur; cum tali casu fines potius declarari, quam nova præscriptione acquiri censeantur. Wiestner ad tit. de Paroch. n. 31.*

Dicitur 4. *Ex officio.* Si enim jura parochialia non ex officio & jure proprio, sed provisorio quodam modo in aliquo loco exercentur, nec locus ille ecclesia parochialis nuncupari, nec curam exercens Parochus appellari potest. *Rot. Rom. d. p. 1. decis. 226. n. 6. & 7. & p. 2. decis. 52. n. 1. & seqq. & p. 3. decis.*

Ddd

cis. 300. num. 5. Barbosa de offic. & potest. Paroch. c. 1. n. 44. quo tamen non obstante ecclesiae parochiales Monasteriis vel collegiis unitae, vere sunt tales, esto per Vicarium exerceatur cura; nam si ille Vicarius sit perpetuus, nihil fere difert a parochi, cum exerceat curam ex officio, nec possit a monasterio vel collegio impediri. Si vero sit temporalis & amovibilis ad nutum, non tam ille quam monasterium vel collegium, cujus agit Vicarium, curam administrare reputatur. *Rota d. part. 1. decis. 226. n. 8. & p. 2. decis. 204. n. 1. P. Engel ad tit. de Paroch. n. 8.*

Dieitur 5. *Authoritate ecclesiastica constitutus.* Nec enim ad ecclesias parochiales regendas accedere licet, antequam legitima institutio, una cum approbatione ad curam animarum accesserit. *arg. cap. 4. de offic. Archid. cap. 3. de institut. cap. 3. de offic. judic. ordin. in 6. cap. 1. de R. 7. in 6.* ex quibus liquet, quænam dicatur parochia, & quis sub nomine parochi veniat ac nuncupetur.

Ex juribus parochialibus primum tenent, quæ sacra sunt, & inter ipsa sacra præcellunt, quæ forum sacramentale concernunt; habet siquidem parochus intentionem in jure fundatam, quoad omnia sacramenta (confirmatione & ordine excepto) fidelibus, intra limites parochiae existentibus, administrandi *per clement. 1. de privileg.* In specie autem habet parochus;

Primo jus conferendi baptismum. Tametsi enim in necessitate non solum clericis sed etiam laicis utriusque sexus Baptismum conferre liceat, *can. 21. dist. 4. de consecrat. c. 1. §. una. de SS. Trinit.* nihilominus extra necessitatis casum solus parochus ordinarius solenniter & licite baptizat. *argum. can. 56. caus. 16. quest. 1. cap. 18. de Præscript.* *Barbosa de offic. Paroch. cap. 18. n. 1.*

II. Habet parochus jus administrandi sacramentum poenitentiae; nam spectato jure communi, tenentur parochiani proprio suo parochi confiteri, nec alium possunt accedere, sine illius licentia tacita vel expressa. *per cap. 12. de poenit. & remiss.* esto per generalia & specialia privilegia, partim per bullas extravagantes concessa, sacerdotes regulares, ad curam animarum approbati, hodie facultatem habeant, sacramentum poenitentiae quibuscunque fidelibus in suis ecclesiis administrandi. *Barbosa de offic. Parochi. cap. 19. n. 22. & seqq. Tamburinus de Jure Abbat. tom. 2. Disp. 6. quest. 13.*

III. Habet parochus jus distribuendi sacramentum Eucharistiae suis parochianis, nec licet regularibus absque parochi licentia, sub pena excommunicationis, ipso facto incurrendae, idem sacramentum ministrare. *Clement. 1. de Privileg.* attamen post illam clementinam regulares obtinuerunt nova privilegia, vi quorum omnibus fidelibus sacramen-

mentum Eucharistiæ in suis ecclesiis, excepta communione Paschali, porrigere valent, non petita parochorum licentia. Barbosa *de offic. Parochi. cap. 20. num. 8. & seqq.* Tamburinus *d. l. disp. 5. quest. 3.*

5 IV. Habet parochus jus administrandi sacramentum extremæ unctionis, exclusivè ad omnes regulares, quibus illius administratio, exceptis suis familiaribus & domesticis, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, *in d. clement. est prohibita.* Barbosa *d. l. cap. 22. n. 3. & seqq.*

6 V. Habet Parochus solus jus assistendi matrimonio, per *cap. ult. de clandest. desponsat.* & si alius sine licentia parochia assistat, matrimonium hodie post concilium Trid. *sess. 24. de reformat. matrim. cap. 1.* nulliter contrahitur. Barbosa *d. l. cap. 21. n. 33. 34. & 35.*

Quæres. 1. *Quenam jura competant parochi circa officia divina?*

7 Proxima, post jura sacramentalia, sunt jura, quæ competunt parochis circa officia divina, de quibus rursus parochus generalem à jure potestatem obtinet, in ecclesia parochiali omnia ea ordinandi & disponendi, quæ ad cultum Dei & Sanctorum, nec non salutem animarum ordinantur. Hinc

Resp. 1. Quando parochus diebus festivis sacrificium offert, debent omnes parochiani accedere. *cap. 2. de paroch. extravag. 2. de treuga & pac. inter commun.* ita tamen, ut si alibi sine contemptu parochi sacrum au-

diant, satisfaciant præcepto ecclesiæ, saltem ex hodierna consuetudine, per declarationem Leonis X. quam refert Barbosa *de offic. parochi. cap. 11. n. 15.* & advertit P. Engel. *ad tit. de paroch. n. 29.* à parochis non esse tolerandum, si omnes parochiani vel major pars eorum, extra parochialem ecclesiam velint audire sacrum.

Resp. 2. Competit etiam parochi jus prædicandi verbum divinum. Trid. *sess. 5. de reform. cap. 2. & sess. 24. de reform. cap. 4.* quamvis diversa diversis religiosis privilegia sint concessa quoad munus prædicationis. P. Wiestner. *tit. de paroch. n. 23.*

Resp. 3. Ad parochum spectant ratione officii divini ulterius sequentes functiones. 1. Benedictio fontis baptismalis. 2. Benedictio candelarum in die purificationis B. V. 3. Benedictio cinerum in die cinerum. 4. Benedictio palmarum in die palmarum. 5. Institutiones processionum per parochiam.

Quæres 2. *Quæ jura competant parochi circa Parochianos gubernandos?*

Ad jura sacra parochorum reducuntur jura circa parochianos in spiritualibus gubernandos, hinc

Resp. Inter hæc jura primum esse jus docendi & instruendi tum pueros tum adultos in rebus fidei, & præceptis ecclesiæ, de quo Concil. Trid. *sess. 24. de reform. cap. 4.* eumque in finem debet parochus admonere parentes, tutores & cu-

Ddd 2

rato.

ratores, ut suos liberos, pupillos & adolescentes mittant ad cathechesin. Barboſa *d. l. cap. 15. num. 6. & 7.*

Præterea officium parochi est, populo denunciare vigiliis, jejunia, festa, & indulgentias, pro tempore occurrentes, ne se de ignorantia possint excusare. Barboſa *d. l. cap. 16. per tot.*

Denique parochus denuntiat ex jure proprio futura matrimonia, quatenus, si quis ex præsentibus cognoscat impedimentum aliquod inter sponsum & sponſam subesse, illud manifestet. *Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1.*

9 His juribus sacris a parochi ob-eundis, inter reliqua jura spiritualia annumeratur *jus sepulture*, quod nihil est aliud, quam facultas, ratione cujus parochianorum ex hac vita decedentium corpora debent in cæmeterio ecclesie parochialis sepeliri. Cum enim parochiani, dum vivunt, à parochis sacramenta percipiunt, consequens est, ut ab illis etiam in cæmeterio parochiali supremos honores & iusta funerals consequantur, sive extra sive intra parochiam obierint, dummodo tamen ad Ecclesiam parochialem commode deportari valent. *cap. 1. cap. 5. cap. 10. de sepult. cap. 1. cap. 3. princ. eod. in 6. & si in duabus parochiis domicilium quis habuerit, in ea in qua mortuus, tumulandus est. cap. fin. de Paroch. quoniam etiam si quasi domicilium quis habeat in aliqua parochia,*

uti sunt studiosi, famuli, ancilla &c ex hodierna praxi in *cit. cap. fin. ibidem sepulturam obtinent. P. Wiestner ad cit. ut. de sepultur. n. 37. Quæ tamen procedunt si defunctus neque sepulturam gentilitiam aut hæreditariam in alio loco habuit, neque etiam sepulturam alibi elegit; potest enim quilibet (excepto religioso & filiofamilias impubere) sibi eligere sepulturam, ut non minus in dispositione patrimonii quam electione sepulture, cuiuslibet sit liberum arbitrium. *cap. 1. d. 1. cap. ult. eod. in 6.* Si tamen religiosus extra monasterium versetur, nec possit opportune transportari ad monasterium, jus eligendi sepulturam habet. *d. c. ult. Hinc**

Quæres 3. *In quo loco extra Parochialem Ecclesiam liceat eligere vel constituere sepulturam?*

Respondeo juxta constitutio-¹⁰ nem Innocentii III. in *cap. fraternitatem. 3. de sepult.* haberi: *Mortuorum sepulchra & cæmeteria apud illas Ecclesias & Monasteria ex antiquo esse disposita, in quibus religiosorum fratrum conventus sunt constituti, & orationes atque missarum solennia, tam pro vivis quam pro defunctis frequentius celebrantur. Ex quo textu, sicut etiam ex can. 6. caus. 13. quæst. 2. can. 13. caus. 16. quæst. 1. cap. 2. §. si quis, de sepult. in 6. abunde liquet monasteria, sive populum sibi habeant subjectum sive non, hac facultate potiri, ut sepultura possit ibidem eligi, prout contra non paucos defendit*

fendit Fagnanus ad *cap. fraternitatem. 3. n. 6. de sepult.* Si

Dicas: per *clement. dudum. de privileg.* Jus sepulturæ religiosis mendicantibus per modum privilegii concedi. Sed responderi potest, jus antiquum per illam clementinam fuisse magis declaratum; vel potius reponi, jus sepulturæ jure communi antehac monasteriis concessum, ad monasteria mendicantium non tam extensum, quam eatenus restrictum fuisse, quatenus parochi loci nullum per hoc præjudicium debeat generari, sed ipsi portio canonica de omnibus obventionibus occasione funeris perceptis, indistinctè præstari.

Quæres 4. *Quid emolumentum conferat jus sepulturæ?*

Quoniam jus sepulturæ quatenus est parochiale, non exiguum confert emolumentum, hinc:

II Resp. Ad parochum pertinere i. quicquid occasione funeris offertur Ecclesiæ, si funus in ecclesia parochiali sepeliatur *cap. 42. de Simonia. Barbosa ad Clement. dudum. 2. de sepult. n. 27.* Si

Dicas per *cap. 9. de sepultur.* Reprobari omnem consuetudinem, vi cuius aliquid ratione funeris à fidelibus exigitur.

Resp. Ibi non reprobari consuetudinem, vi cuius aliquid ultro suppeditatur à fidelibus, nec illam, qua aliquid exigitur non pro ministerio spirituali, sed vel in sustentationem ministrorum, vel etiam in compensationem decimarum

personarum, quæ passim abrogatæ noscuntur. Quod si etiam cadaver non prius inferretur sepulturæ, quam loco funeralium aliquid solutum esset, praxis hæc ut corruptela foret detestanda. *cap. 13. de sepult.*

Resp. 2. Si cadaver hominis parochiani licitè extra parochialem ecclesiam fuerit sepultum, nihilominus parochi debetur portio canonica de legatis piis, oblationibus, & quibuscunque emolumentis, ad illam ecclesiam intuitu funeris devolutis. *cap. 1. cap. 8. de sepult. cap. 2. in princ. eod. in 6.* Hæc tamen portio pro locorum varietate variat, ac modo tertia, subinde media, nonnunquam quarta vocatur. *d. cap. 1. cap. 2. cap. 8. cap. 9. Clement. 2. de sepult.* Imò hæc portio quoad legata pia multorum locorum non usu cessavit.

Corollarium. ex *dd.* fuit parochis i. jurisdictionem ordinariam esse concessam pro foro interno, quia præter jus administrandi omnia sacramenta intra fines suæ parochiæ, juxta *d. Clement. 1. de Privileg.* potest parochus in sacro tribunali de omnibus suorum parochianorum peccatis, summo Pontifici vel Episcopo specialiter non reservatis, cognoscere, pœnitentiam injungere, pœnitentes absolvere vel condemnare, nec alius qui delegatione & licentia parochi aut privilegio Apostolico destituitur, hisce actibus se intromittere potest. *cap. 12. de Pœnitent. & remiss.* quamvis juris-

Ddd 3

ris-

risdictionem propriam & contentiosam pro foro externo concessam non habeat, quia de causis parochianorum cognoscere, sententiam aut censuram ferre, absolvere pro foro externo, spectat ad solum episcopum *can. 38. caus. 11. q. 1. cap. 1. 9. & 11. in princ. de offic. judic. ordin. Layman. de jurisdict. ordin. conclus. 158. Gonzalez ad cap. cum ab ecclesiarnm. 3. de offic. juridic. ordin.*

13 Quæres 5. *A quo ecclesia parochiales constituantur vel erigantur?*

Resp. Ecclesias parochiales præter summum Pontificem ab alio quam episcopo, de jure communi constitui vel erigi non posse. *argum. can. 11. caus. 16. quest. 7.* poterit igitur episcopus novam parochiam erigere. I. Si antecedenter cura promiscue per sacerdotes fuerit exercitata, absque certis finibus aut limitibus, tunc enim episcopus populum in certos districtos dividere, & cuilibet suam ecclesiam ac parochum assignare potest. *Concil. Trid. Sess. 24. de reform. cap. 13.* II. Sicut populus in tantum excresecat numerum vel locorum distantia sit tanta, ut ad unam ecclesiam, præsertim hyemali tempore, convenire nequeat, atque sacramenta non sine difficultate agrotis administrantur; tunc enim episcopus citatis parochi & patrono ecclesie matricis, novam ecclesiam parochialem & parochum constituere, eisque ex redditibus ecclesie antiquioris sustentationem assignare, aut etiam parochianos ad alimenta

præstanda potest compellere, *cap. 3. de eccles. edificand. Trid. Sess. 21. de reform. cap. 4.* quamvis non tam expediat parochiarum multitudo, quam si in ejusmodi novis ecclesiis deputentur Vicarii, rectori antiquioris ecclesie subordinati.

In casu etiam, quo fundus deficeret pro ædificanda nova ecclesia parochiali, poterunt parochiani autoritate episcopi ad cedendum locum compelli, quemadmodum ex causa alterius necessitatis, refuso justo pretio, quis ad distrahendum fundum compelli potest. *arg. l. 15. §. 1. ff. de R. V. Covarruv. variar. resolut. lib. 3. cap. 14. n. ult.*

Quæres 6. *A quo reparandæ seu restaurandæ sint ecclesie parochiales?* 14

Resp. Ecclesie parochiales ob vetustatem, incendium, ruinam &c. destructæ, collapsæ vel dirutæ, reparandæ & restaurandæ sunt ex redditibus propriis pro fabrica deputatis. *can. 10. caus. 10. quest. 1. can. 3. cit. caus. quest. 3. Gonzalez. ad cap. quicumque 1. de eccles. edific. n. 7.* Quod si vero redditus aut nulli aut tenues sint & insufficientes pro redintegranda fabrica, parochi & alii, qui beneficium ab ecclesia redintegranda possident, ex redditibus, qui deducta congrua sustentatione superflui sunt, ad reparationem contribuere tenentur. *cap. 1. & 4. de eccles. edific.* Cum enim sentiant emolumentum ab ecclesia, onus etiam detrectare non recusent. *Gonzalez. loc. cit. n. 8.*

Quæ-

15 *Quæres 7. An etiam patroni ecclesie teneantur ad ejus refectionem concurrere?*

Sententia affirmativa 1. allegat Concil. Trident. *Sess. 21. de reform. cap. 7.* ubi ad refectionem obligantur patroni & omnes alii, qui fructus aliquos, ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt. 2. Quia ecclesia est obligata, patronos, si seipfos alere nequeant, sustentare. Ergo vicissim patroni erunt obligati ecclesiam mediis destitutam reficere. Sed:

Respondeo negative. Ita P. Martinus Resch. *Tr. de jure patronat. p. 1. quest. 2. art. 7. n. 5.* Pirrhing. *ad tit. de eccles. adific. n. 20.* P. Wiestner *ibid. n. 45.*

Ratio est: quia hoc ipso quod patronus ecclesiam erexerit ac dederit esse, ecclesia erit magis devincta patrono, quam ipse ecclesie. Adeoque frustra patronus ad ecclesiam reparandam adstringitur, ne alias ipsi beneficium sit damnosum, & ceteros, quo minus ad fundandas, dotandas, vel ædificandas ecclesias se pronos exhibeant, absterrebit.

Ad I. rationem sententie oppositæ ex Concilio Tridentino, Resp. ibidem per patronos non intelligi qualescunque, sed tales qui ex speciali jure in foundationis exordio juxta *cap. 23. de jur. patron.* sibi reservato, fructus ab ecclesia percipiunt, tunc quippe, cum extraordinarium ab ecclesia favorem habeant, incommodum injuste declinant.

Ad II, Resp. N, Conseq. quod

enim ecclesia sit obstricta, patronum pauperem sustentare, est actus gratitudinis, ex præcedenti beneficio patroni resultans. Econtra autem patronus nullum beneficium ab ecclesia accepit, adeoque nec titulus apparet, ob quem ille constringatur ad reparationem ecclesie. Quod etiam patrono debeatur locus honorificus in ecclesia, nullam rursus infert ecclesie reparandæ obligationem, sed honor hic exhibetur in compensationem anterioris beneficii, & veterem duntaxat obligationem exsolvit. Quin etiam cum illo honore connexum est aliud onus, quod ecclesie curam gerere, eamque defendere & tueri obligetur; proinde ex hac prærogativa honoris non noviter onerandus, sed potius sublevandus est.

Quæres 8. An decimatores sive quibus jus decimandi competit ex jure speciali, v. g. Privilegio Pontificio, teneantur concurrere ad reparationem ecclesie parochialis?

Resp. Affirmative. Ita P. Wiestner. *ad d. tit. de Eccles. adificand. n. 47.* Gonzalez. *ad cap. 1. eod. tit. n. 8.* Zypæus in *Analysi ad tit. tit. n. 2. D. Francisc. Schmier. tract. de person. reb. & Jur. Eccles. p. 2. c. 2. sect. 2. §. 3. n. 60.* alique ab eo relati, quam responsionem datam non tantum authores allegati, sed etiam ii, qui tenent contrariam sententiam, fatentur in praxi esse receptam.

Prob. I. per textum in *cap. 1. de Eccles. adificand.* ubi sine distinctione præcipitur, ut, *quicumque Ecclesiasticum*

sticum beneficium possident, omnino adjuvent, ad tota Ecclesia restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas. Subsumo: Atqui decimatores, quocunque titulo jus decimandi acquisiverint, habent beneficium ecclesiasticum, eo quod beneficium in cit. textu non accipiatur pro titulo ministerii spiritualis, sed pro qualibet utilitate, quae ex iuribus & rebus Ecclesiae percipitur, ut notavit Gonzalez. loc. cit. n. 2.

Prob. 2. per concil. Trid. sess. 21. de reform. cap. 7. vi. cuius omnes, qui fructus aliquos ex Ecclesiis provenientes percipiunt, ad earum reparationem adstringuntur; atqui decimatores, qualescunque sint, percipiunt fructus ex ecclesiis parochialibus, ad quas jus decimandi caeteroquin spectat per cap. 18. cap. 26. in pr. cap. 29. de Decim. Ergo.

Prob. 3. Decimis est annexum onus ex dispositione juris, non tantum parochum sustentandi, sed etiam sublevandi, ut alia onera facilius supportare possit; cap. 2. §. ubi autem. de Decim. in 6. Atqui inter illa onera est obligatio reparandi Ecclesiam parochialem. Ergo &c. Res autem & praesertim Decimae transeunt ad quemcunque possessorem cum suo onere cap. 5. de pignor. cap. 33. de Decim. Ergo qui decimas possidet, habet etiam annexam obligationem & onus, ecclesiam parochialem restaurandi. Si

Obijcias cum Zoëzio ad tit. de Eccl. edificand. n. 5. & Pirrhing. n. 18. quod obligatio reparandi, si quae

subesset deberet oriri ex eo, quod decimae sint aliquod beneficium ab Ecclesia acceptum. Atqui, si decimae ex jure speciali v. g. privilegio ad alium quam parochum spectent, nequeunt vocari beneficium ab Ecclesia acceptum: separantur siquidem penitus ab Ecclesia, praesertim si ad laicos deveniant; neque ex beneficio ecclesiae, sed gratia summi pontificis colliguntur. Ergo &c.

Resp. N. Minorem. Decimae enim, licet separantur ab ecclesia, sunt nihilominus beneficium ecclesiasticum, cum ad ecclesiam parochialem de jure communi pertineant; proinde etiam in casu, quo privilegio Pontificio conceduntur aliis, tum ecclesiastico tum laico, transeunt ad possessorem cum suo onere. quod insuper confirmatur ex eo, quia respectu parochi decimae reputantur beneficium ecclesiasticum, tamen etiam parochiam non ab ecclesia parochiali, sed ab episcopo acquirat; ergo etiam reputantur beneficium ecclesiasticum respectu alterius decimatoris, tamen si jus decimandi non habeatur à parochia, sed à summo Pontifice.

Quaeres 9. Quodnam sit officium¹⁷ Archi-presbyteri sive Decani ruralis?

Resp. Officium Decani ruralis describitur in cap. 4. & cap. ult. de offic. Archi-presbyteri. ubi in synodo Ravennae habita cap. 4. statuitur: ut singulae plebes Archi-presbyterum habeant, qui non solum sollicitam & sedulam imperitae plebis curam

curam gerat, sed etiam presbyteris, qui in minoribus titulis, seu parochiis, intendat; & qua quisque industria opus divinum exerceat, ad episcopum referat; ubi etiam redditur ratio, quia licet episcopus valde idoneus sit, decet tamen, ut sua onera cum aliis partiatur, cum ipse solus omnibus invigilare non possit, adeoque extra civitatem episcopalem, alios veluti Vicarios, nempe Archi-presbyteros seu Decanos rurales constituat, qui plebi commissæ invigilent, ita tamen, ut cuncta referant ad episcopum.

18 *Quæres 10. An prædicti Decani rurales habeant aliquam jurisdictionem externam?*

Resp. Affirmative, scilicet habere jurisdictionem externam, tum in clericos intra fines seu districtum decanatus sui constitutos, tum in plebem sibi commissam, quia sunt velut Vicarii episcopi, qui foris con-

stituuntur ad gubernandum clericum, & populum, ideoque etiam Vicarii foranei appellantur. *Clement. 2. de rescript.* Est tamen eorum jurisdictio subordinata, & omnimode dependens ab episcopo & ejus Vicario generali, ita ut nihil contra præcepta eorum agere possit, & quæ dubia sunt, vel gravioris momenti, ad eosdem referre debeat, *cit. cap. ult. de offic. Archi-presbyt.* quamvis minora seu leviora negotia per se ipsos, determinare & expedire possint; verum hodie jurisdictio decanorum ruralium admodum exigua est, & pro diversitate locorum etiam diversa, ut potissimum eorum officium sit, delicta & excessus parochorum denunciare, episcopo. Neque etiam hi decani rurales dignitatem vel personatum habent, ut sentit P. Pirrhing. *de offic. Archi-presbyt. §. 2. n. 13.* aliisque ab eo relati.

§. V.

DE PRÆLATIS REGULARIBUS NON BENEDICTIS,
NEC PERPETUIS.

SUMMARIUM.

1. *An Prælati locales non perpetuè habeant jurisdictionem ordinariam in suos regulares?* 2. *Nequeunt condere statuta regularia.* 3. *Habent potestatem ferendi censuras, & ab iisdem absolvendi.* 4. *An absolvere possint à*

censuris per superiorem Prælatum latis? 5. *Possunt sua absolutioni reservare quedam peccata.* 6. *An habeant liberam administrationem quoad bona temporalia?*

Eee

Per

Per praelatos regulares non benedictos nec perpetuos intelligo Priores Conventuales, Guardianos, Rectores & ceteros, qui in praelatura regulari nullum jus reale & stabile obtinent, sed statis temporibus ab officio removentur. Hinc

Quæres 1. *An hi praelati regulares habeant jurisdictionem ordinariam in suos subditos regulares?*

Resp. Affirmative. Ratio, jurisdictionis ordinaria est, quæ competit ex vi officii seu muneris, ad quod ab Universitate sive reliquis religiosis sunt electi; ut sentit Innocent. in cap. 3. n. 1. de offic. judic. ordin. in plerisque autem religiosis ordinibus constituuntur Priores, Guardiani, Rectores, Provinciales per electionem capituli, accedente confirmatione superioris, scilicet Generalis. quod tamen intelligendum est de iis superioribus religionum, qui in eodem monasterio non habent supra se alium præpositum, hi posteriores enim non ordinariam sed plerumque delegatam aliquam jurisdictionem habent, quia tota jurisdictionis non ex lege aut determinatione juris, sed ex arbitrio & voluntate praelati domestici pendet.

Quæres 2. *An Praelati hi locales v. gr. Guardiani, Rectores, Priores, habeant potestatem condendi statuta regularia?*

Resp. Negative. ratio est, quia hi superiores sunt sub uno capite, à quo totum corpus dirigitur, & in quod caput sive superiorem generalem tota potestas regularis est

translusa, & ab eo in praelatos inferiores derivata; adeoque hi posteriores sive praelati locales in exercitio suæ jurisdictionis à toto ordine vel præside dependent. Tamburinus tom. 3. de jure abbat. disp. 3. quest. 1.

Quæres 3. *An prædicti praelati locales habeant potestatem excommunicandi, aliasque censuras vel penas inferendi & ab iis absolvendi?*

Resp. Affirmative, & ita colligitur ex cap. 10. de Major. & Obed. cap. 33. de simonia. Adeoque hi praelati, priores, guardiani, rectores, habent potestatem excommunicandi, aut per alias censuras coercendi, licet hi praelati conventuales adhuc superioribus sint subiecti.

Et hinc etiam superiores praelati religionis possunt absolvere subditos à censuris latis ab inferioribus, v. g. provincialis absolvere potest religiosos, quos excommunicavit praelatus conventualis, seu localis, & generalis, quos excommunicavit provincialis, quia inferior habet quidem jurisdictionem ordinariam, sed subordinatam & dependentem à superiore, ita ut hic quoque jurisdictionem habeat in causam & personam absolvendam; poteritque superior causam ab inferiore inchoatam ad se avocare, eamque cognoscere, etiam si ad eum appellatum non sit. Suarez disp. 3. de censur. sect. 2. n. 12.

E contrario hic advertendum, quod hi praelati locales & inferiores

res

res non possint absolvere, à cen-
suris latis à superiori prælato, nisi
quando superior illa specialiter sibi
non reservasset. Juxta *cap. 29. de
sent. excomm.* Suarez *tom. 4. de relig.
tract. 8. lib. 2. cap. 20. n. 22. & 23.*

Quæres. 4. *An priores, guardiani,
rectores & alii prælati conventuales seu
locales possint certa peccata quæ gra-
viora sunt, aut magis noxia, absolutio-
ni sue reservare?*

5 Resp. Affirmative, & probatur
ex constitutione Clementis VIII.
anno 1593. die 26. Maji edita, quæ
incipit. *ad futuram rei memoriam.*
In qua Pontifex loquitur indefinite
de superioribus regularium, ut no-
tat Suarez *loc. cit. n. 14.* & quamvis
in Concil. Trident. *sess. 14. cap. 7.*
solum fiat mentio de summo Pon-
tifice & episcopis, tamen sub epi-
scopis ibi sunt intelligendi omnes
episcopalem vel quasi episcopalem
jurisdictionem obtinentes, quia
actus reservandi peccata, non spe-
ctat ad potestatem ordinis episco-
palis, sed ad potestatem jurisdic-
tionis.

Quæres 5. *An Prælati hi locales,
habeant liberam administrationem mo-
nasterii quoad temporalia?*

6 Resp. Quamvis hæc libera mo-
nasterii administratio alias con-

cessa sit prælatis monasteriorum,
quæ ex antiqua institutione (etiam si
ejusdem regulæ & ordinis sint) jura
tamen & bona omnino divisa & se-
parata habent, prout colligitur ex
*can. 9. caus. 18. quest. 2. can. 11. caus. 12.
quest. 1. cap. 21. de rescript.* nihilomi-
nus id fallit in religionibus mendi-
cantium, quæ habent unum gene-
ralem præfulem, seu præpositum,
ita ut immediati seu locales præla-
ti, videlicet priores, Guardiani,
rectores subordinati sint & subje-
cti provincialibus, provinciales ve-
ro uni generali totius ordinis, a quo
omnes non solum subditi, sed etiam
subordinati prælati, tanquam unius
corporis seu congregationis mem-
bra dependent, tam quæ ad jurisdic-
tionem exercendam in subditos
regulares, quam quod ecclesiarum,
monasteriorum & jurium ac bono-
rum administrationem; in his
enim religionibus, qualem Prælati
subordinati: videlicet provinciales
& Prælati conventuales seu locales
jurisdictionem habeant in personas,
vel quam potestatem administran-
di bona, id ex uniuscujusque re-
ligionis constitutionibus, consue-
tudinibus & privilegiis colligi pot-
est. Layman. *in cap. edoceri 21. n. 7.
de rescriptis.*

§. VI.

DE JURE ET POTESTATE ABBATISSARUM.

SUMMARIA.

1. *Abbatissa habent potestatem do-
minativam seu gubernativam Mona-*

*sterii. 2. An possint præcipere sub vir-
tute obedientiæ. 3. Non habent spiri-
tualem*

Ecc 2

tualem & ordinariam jurisdictionem.
4. Nequeunt ferre censuras ecclesiasticas. 5. Quae sit potestas Abbatissarum secularium. 6. In quo differat juris-

dictio spiritualis à potestate gubernativa spirituali. 7. Potestas gubernativa privative spectat ad Abbatissas, nec à Pralatis in ea turbari debent.

Quæres 1. An Abbatissa, Preposita, seu Priorissa regulares habeant aliquam potestatem dominativam, seu gubernativam temporalem?

1. Resp. Affirmative. Nimirum illas habere potestatem aliquam politicam sive domesticam administrandi & regendi monasterium in temporalibus, sicut quævis mater familias. Imo huic potestati annexa est altera quædam potestas spiritualis in moniales, vi cujus Abbatissa potest spiritualia præcepta seu in ordine ad finem spirituales eis imponere, atque ratione voti obedientiæ sibi tanquam præfectæ ac matri suæ spirituali præstiti, si res postulet, etiam in virtute S. obedientiæ, ipsis, quæ ad salutem animæ spectant, & regulæ conformia sunt, præcipere possit; & moniales ipsi ex religionis virtute, sive vi voti in conscientia & sub peccato obedire tenentur. Suarez tom. 3. lib. 10. cap. 11. n. 20. & tom. 4. tract. 9. lib. 1. cap. 12. n. 9. Ratio est, quia abbatissa talis fungitur munere publico, eique moniales vi professionis emissæ, obedire coguntur, & in eam superiores ordinis illius regularis, in quo versatur, eam potestatem transtulerunt.

Quæres 2. An Abbatissa vel Priorissa regulares etiam habeant spiritualem & ecclesiasticam ordinariam jurisdictionem?

Resp. Negative. Ita communiter Theologi & canonistæ, glossa in cap. dilecta 12. V. jurisdictioni, de major. & obed. Suarez tom. 4. de relig. tract. 9. lib. 1. cap. 12. n. 8. Ratio est, quia mulieres sunt incapaces jurisdictionis spiritualis & ecclesiasticæ, ejus præsertim, quæ pertinet ad claves Ecclesiæ, per quas traditur potestas ligandi & solvendi, quia etiam à civilibus officiis mulieres jure civili excluduntur. l. 1. § 1. ff. ad S. C. Vellejan.

Objicies. cap. dilecta. 12. de Major. & obed. dicitur Abbatissas posse suas Canonicas & Clericos suæ jurisdictioni subiectos propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque suspendere. Ergo Abbatissæ competit jurisdictio spiritualis.

Resp. Recitata verba non esse Pontificis, sed Abbatissæ, nec in dispositione sed narratione posita, adeoque nec jurisdictionem nec suspensionem probant; deinde supponitur aperte, quod Abbatissa non habeat jurisdictionem ecclesiasticam criminalem dum dicitur, quod excommunicare non possit. Præter hæc æqualiter de clericorum & canonicarum suspensione loquitur, non obstante, quod fæminæ nequeant proprie suspendi & privari spirituali potestate aut functione, cujus aliunde sunt expertes. Demum ejusmodi

modi suspensiones vocantur salutaria monita & mandata, quibus si obedientiam & reverentiam non impendant, clerici & canonicæ excommunicari jubentur, non ab Abbatissa sed ab abbate. Sicque ex omnibus hisce colligitur jurisdictionem in *cit. cap. dilecta*, accipi plane improprie, quatenus solam potestatem æconomicam non etiam publicam & autoritativam denotant; suspensionem quoque accipi non pro censura, sed pro simplici prohibitione, qua clericis sub pœna subtractionis fructuum, ne celebrent, interdicatur.

4 Corollarium 1. Cum ergo Abbatissæ jurisdictionem spirituales non habeant, exinde sequitur, quod excommunicare vel alias censuras proprie dictas inferre non possint, nec ab illis absolvere, neque etiam unâ cum toto conventu suo propriam legem vel statutum condere.

5 Corollarium 2. Non tantum Abbatissæ regulares, sed etiam sæculares potestatem gubernativam & exercitum alicujus potestatis spiritualis, præter administrationem in temporalibus, habent in canonicas suas itidem sæculares, ut colligitur ex *cit. cap. dilecta, 12.* ibi: *Canonicas, de Major. & obed.* quales plures in Germania reperiuntur, quæ nullam professionem emittunt, nec propriis facultatibus renunciant, imo matrimonium etiam adhuc contrahere possunt, quales sunt Augustæ Vindelicorum Canonissæ ad S. Stephanum, Ratisbonæ in superiori & in-

feriori Monasterio, in Ober- und Nieder-Münster / & plures alia.

Corollarium 3. Jurisdictio spiritalis seu ecclesiastica differt à potestate gubernativa spiritali, quæ quidem in viris aliquando conjuncta esse possunt, ut in prælatis, qui habent jurisdictionem spirituales, seu potestatem ligandi & solvendi; quæ directe & proxime non à votibus seu professione in religione emissa, sed à superioribus ecclesiæ prælatis ipsoque summo Pontifice convenienter derivatur, sed præter hanc habet prælatus etiam gubernativam spirituales, per quam regularibus subditis ratione voti obedientiæ sibi tanquam patri spiritali præstiti, præcepta ad salutem animæ spectantia imponere, & eis præcipere potest in virtute obedientiæ. Porro ad cognoscendum quanta sit potestas in singulis abbatissis, indagandum est, quæ sint specialia statuta & propriæ consuetudines uniuscujusque religionis vel monasterii.

Denique cum hæc potestas æconomica ac etiam directiva monialium sit potestas spiritalis, quam Abbatissæ obtinent, nequeunt in ea turbari à prælatis regularibus, cui sunt subjectæ, sed penes easdem est liberum hujus potestatis exercitium, quousque in eodem non excedunt, sicut ipsimet prælati, etiamsi aliis sint subjecti, in exercitio suæ jurisdictionis nequeunt turbari, quousque excessus non ostenditur.

Eee 3

§. VII.

§. VII.

DE ABBATIBUS ABBATISSIS S. R. I. PRINCIPIBUS
AUT EJUSDEM STATIBUS.

SUMMARIA.

1. Abbas & Princeps Fuldensis.
2. Campidonensis. 3. Murbacensis.
4. Prapositura Berchtalsgadenensis. 5. Stabulensis. 6. Corbeyensis. 7. Sancti Gallensis. 8. Einsidensis. 9. Recensentur quidam alii Abbates Principes.
10. Prapositura Elvacensis refertur.

11. Notantur Abbates qui sunt status Imperii ex scamno Svedico. 12. Abbates immediati ex scamno Rhenano.
13. Referuntur Abbatissae, quae sunt Principissae Imperii. 14. Abbatisse feminarum quae fruuntur jure statuum Imperii.

Pro coronide addere lubet, quae praerogativa in imperio sint donatae personae ecclesiasticae regulares, quae tum in principes imperii sunt assumptae, tum etiam, si hac dignitate non fulgeant, saltem plures jure statuum imperialium gaudent, quod pariter vix in ullo alio regno invenimus, in quo regulares tot insignibus praereminentis essent decorati; igitur primo referam, quinam sint abbates imperii principes, secundo, quinam abbates sint status imperii, & votum habeant in comitiis imperialibus, tertio, quinam abbatissae se scribant imperii principissas, aut saltem jure statuum gaudeant;

Inter abbates S. R. I. principes primo venit abbas & princeps Fuldensis

Das Stifft Fulda.

Principalis haec abbatia ordinis S. Benedicti fundata est anno 744. a S. Bonifacio, & a Carolo Magno

ac Pipino ditionibus & bonis ditata; est fere ditissima Germaniae Abbatia. Modernus abbas est:

Reverendissimus ac Celsissimus
S. R. I. Princeps ac Dominus,
D. Adalbertus,

Ex perillustri familia de Schleiffas, electus anno 1700. Neo-electus Abbas pro obtinenda investitura nullam solvit taxam imperialem: residentia principis & monasterium principale est in civitate Fuldensi, territorium ejus vocatur Buchonia, intra Hassiam & Franconiam sita; plurimas numerat praeposituras & satrapias; hic Abbas & Princeps se scribit Cancellarium Augustae sive Imperatricis, nulli episcopo est subiectus, sed immediate dependet a sede pontificia, est Primas abbatum per Germaniam. Unicum habet officialem hereditarium, scilicet Mareschallum, quod officium pertinet ad familiam de Schlicht vel Görz,

Huic

Huic succedit ducalis abbatia
Campidonensis.

Das Stiff Kempten.

2 Est hæc abbatia ordinis S. Benedi-
dicti, fundata ab Hildegarde, Caro-
li Magni conjuge, circa annum 777.
Primusque ibidem Abbas erat An-
delgarius, adhuc principatum per-
tinet territorium Buchembergenſe,
castrum Illerbergense, diverſa bona
in Algow, Sagow, Risgow, Heyl-
pertsgow. Dicitur etiam sub ſe
habere 72. parochias & totidem
vaſallos. Princeps hic ſe ſcribit
Auguſta five Imperatricis Archi-
mareſchallum, inter officiales hære-
ditarios Archi-dapiferum numerat
Duces Bavariæ, Archi-pincernam
habet Duces Saxonix. Modernus
Abbas & Princeps eſt:

Reverendiſſimus & Celiſſimus

S. R. I. Princeps ac Dominus,

D. Rupertus.

Natus eſt ex perantiqua & perillu-
ſtri ſtirpe L. Baronum de Pottmann
in Streiſlingen, electus an. 1677. ma-
gni hujus Principis merita abunde
nota ſunt imperio, quem quondam
Salisburgum erudivit convictorem,
& imperium hæcenus ſenſit in
omni litteratura ac inſigni prudentia
celeberrimum, & ultimo came-
ræ imperialis viſitorem zeloſiſſi-
mum. Huic ſuccedit:

3 Principalis abbatia Murbacenſis,
ſita in ſuperiori Alſatia, ordinis
S. Benediſti, fundata circa annum
724. a Duce Alemanniæ Everhardo.
Modernus Abbas eſt Reverendiſ-
ſimus ac Celiſſimus Princeps,

Philippus Everhardus.

Ex comitibus de Lowenſtein &
Wertheim. Hanc ſequitur:

Præpoſitura Berchtholſgadenſis,
Canonicorum regularium S. Au-
guſtini, fundata circa annum 1108. 4
a Bernige & Cunone eorumque
matre Immengarde, Comitibus de
Sultzbach. Erat hæc præpoſitura
exempta ab omni jurisdictione epi-
ſcopali, ſed ab anno 1384 perhibe-
tur præſtare juramentum fidelitatis
Archi-epiſcopo Salisburgenſi, Ar-
chi ducibus Auſtriæ & Ducibus
Bavariæ. Modernus Princeps &
Præpoſitus eſt Sereniſſimus Prin-
ceps Joſephus Clemens, e Ducibus
Bavariæ, de quo alibi. Ordine
deinceps ſequitur:

Die geſürſtete Abbtſey Stablo

Abbatia Stabuleniſis, ordinis
S. Benediſti, fundata a Sigeberto 5
Auſtraliæ Rege circa annum 653.
ſita in epiſcopatu Leodiendi. Ab-
bas Stabuleniſis inſignitus eſt titulo
S. R. I. Principis. Huic ſuccedit:

Die geſürſtete Abbtſey zu Corvey.

Abbatia Corbeyeniſis ordinis 6
S. Benediſti fundata circa annum
815. a Ludovico Pio Imperatore;
inſignita eſt titulo S. R. I. Principis,
nulli epiſcopo ſubjecta, modernus
& anno hoc præſente 1714. Electus,
eſt,

Reverendiſſimus ac Celiſſimus

Princeps ac Dominus,

D. Maximilianus.

Ex prænobili familia de Horrich, ex
ducatu Juliaceniſi.

His accedit: Principalis abbatia 7
St,

St. Gallensis, die gefürstete Abtey St. Gallen. Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ratione quorundam bonorum se scribit Principem imperii, quamvis ipsa ecclesia & monasterium sita sint in Helvetia; est ordinis S. Benedicti.

⁸ Principalis abbatia Einsidensis, die gefürstete Abtey Maria Einsiden. Reverendissimus & Illustrissimus ejusdem celeberrimi cœnobii Princeps & Abbas titulo Principis quidem est insignitus, votum tamen & sessionem in Imperio non habet.

⁹ Sunt præterea adhuc alii tres Abbates, Principes in Helvetia, scilicet der Abt und Fürst zu Pfeffers, der Fürst zu Diesenthis, der Fürst zu Murri, qui pariter votum & sessionem in imperio non habent.

¹⁰ Denique principatus & præpositura Elvacensis olim erat abbatia, ordinis S. Benedicti, modo autem in ecclesiam equestrem canonicorum sæcularium est commutata.

Abbates S. R. I. Principes sequuntur abbatia imperio Romano-Germanico immediate subjecta, quæ proinde inter status imperii numerantur, & quidem ad scamnum Suevicum pertinent:

¹¹ 1. Salmansweiler, Ord. Cisterciensis. 2. Weingarten, Ord. S. Bened. 3. Ochsenhausen, O. S. B. 4. Elchingen, O. S. B. 5. Irtingen, O. S. B. 6. Ursperg, Ord. Præmonstratensis. 7. Roggenburg, Ord. Præmonst. 8. Munichsroden, Ord. Præmonst. 9. Weitenau, Ord. Præmonst. 10. Schussenrieth,

Ord. Præmonstr. 11. Marstall, Ord. Præmonstr. 12. Petershausen, Ord. S. Bened. 13. Wettenhausen, Can. Regular. 14. Gengenbach, Ord. S. Bened. 15. S. Blatii, Ord. S. Bened. 16. Ottobayren, Ord. S. Bened. 17. Zweyfallen, O. S. B.

Ad scamnum Rhenanum pertinent: 1. Kayfersheim, Ord. Cisterciensis. 2. Bruchsal sive Odenheimense, Ord. S. B. 3. Werden, O. S. B. 4. S. Udalrici & Affra, Augustæ Vindelicorum Ord. S. Bened. 5. Monasterium in valle S. Gregorii. 6. S. Georgii in civitate Ilniensi. 7. S. Cornelii, Cornelii Münster, O. S. B. S. Emerani Ratisbonæ. O. S. B.

Principes Abbatissæ sunt I. Abbatissa Essensis, die Äbtissin und Fürstin von Essen. Abbatia hæc fundata est ab Alfrido episcopo Hildesienfi circa annum 870. Personæ quæ hic suscipiuntur, ad minimum debent esse ex familiis Baronum, & sunt numero 52. non sunt obstrictæ votis claustralibus. Moderna Abbatissa est Bernardina Sophia ex comitibus de Ostfriesland & Riedberg.

Abbatissa & Principissa Buchaviensis, die Äbtissin zu Buchau an Federsee. Abbatia hæc fundata est ordinis S. Augustini, omnibus ibidem liberum est ad matrimonium transire, & ecclesiæ renuntiare, præterquam soli abbatissæ id non amplius licet. Moderna, abbatissa

tissa est, Maria Theresia, Comitissa de Montfort.

III. Abbatissa Quendlinburgensis, quæ abbatia fundata est circa annum 930. ab Henrico I. Imperatore; sed anno 1539. fuit reformata, & ex eo tempore canonissa fuerunt amplexæ confessionem Augustanam, eandemque hodieum retinent.

IV. Abbatissa Andlaviensis, die Nebtiffin von Andlau. Abbatia hæc sita est in inferiori Alsatia, fundata à Richarda, Caroli Crassi conjugæ, circa annum 880. Moderna est Anna Sabina de Hugshofen.

V. Abbatissa Lindaviensis, die Nebtiffin zu Lindau am Bodensee. Abbatia fertur esse fundata ab Adalberto Comite de Rohrbach anno 866. ad quam solæ filia nobiles & illustres suscipiuntur. Anno 1689. electa fuit Maria Magdalena, Comitissa de Halweil.

VI. Abbatissa Herfortensis, die Nebtiffin zu Herfort in Westphalen. Abbatia hæc dicitur initium ac foundationem sumpsisse circa annum 815. a Ludovico Pio Imperatore. Modo hæc abbatia addicta est Protestantibus. Abbatia autem eminentia partim ex eo relucet, quod suos habeat officiales hæreditarios, inter quos dapiferum numerat D. de Lederbur, Mareschallum D. de Morrien in Rheve, Pincernam D. de Munich. Venationum Præfectum, Comitem de Biland.

VII. Abbatissa Grinrodensis, die Nebtiffin von Grinrod oder Gerrod

am Harß. Fundata est hæc Abbatia a Comite Gerone Sylvæ Hyrcinæ circa annum 960. Abbatia hæc confessionem Augustanam amplexa fuit anno 1521. Moderna abbatissa est, Henrietta Christina, Ducissa Brunswicensis.

VIII. Abbatissa inferioris monasterii zu Nieder-Münster Ratisbonæ, quæ abbatia fundata est a Juditha, Ducissa Baviaræ, circa annum 900. suscipiuntur hic non nisi nobiles filia, quæ antiquam prosapiam per legitimos ascendentes probare possunt, quibus liberum semper manet, recedere ab ecclesia & matrimonium eligere. Moderna abbatissa est Joanna Francisca ex Baronibus de Muggenthal.

IX. Abbatissa superioris Monasterii zu Ober-Münster Ratisbonæ, quæ ecclesia fuit condita a matre Caroli Crassi, & eodem jure fruitur, quo præcedens. Moderna abbatissa est Maria Theresia ex Baronibus de Sandizell.

X. Abbatissa Gandersheimensis, zu Gandersheim im Braunschweigischen. Fundata fuit hæc abbatia a Leudolfo Magno Saxone, circa annum 843. & modo profitetur confessionem Augustanam. Moderna Abbatissa est Henrietta Christina, Ducissa Luneburgo-Brunswicensis.

Abbatia feminarum, quæ Principum titulo quidem carent, immediati tamen status imperii sunt, recensentur hæc, &:

I. Est Abbatia Heigenbacensis, zu Heigenbach / fundata circa annum

Fff

num

num 1233. a duabus monialibus ex familia de Rosenburg & Landenburg, sita in Suevia prope Bibracum, est ordinis Cisterciensis.

II. Abbatissa Gutencellensis, Guttenzell fundata a duabus sororibus Comitissis de Schlofsberg, sita in Suevia intra Ulmam & Memmingam.

III. Abbatia Rothmonasteriensis, Rothen-Münster fundata anno 1626. ab Hemma Baronissa de Wildenberg, ordinis Cisterciensis, sita in Suevia prope Rothwilam,

IV. Abbatia Bayndensis zu Bänd/ fundata seculo 13. à Barone Schenck de Winterstett, Ord. Cisterciensis. Sita in Suevia prope Ravensburg.

V. Abbatia Burscheidensis, ex monasterio virorum anno 1220. versa in Abbatiam foeminarum, Ordinis S. Bened. sita prope Aquisgranum.

VI. Abbatia ad S. Joannem Lubeckæ, quæ modo addicta religioni Protestantium; Abbatissa per suos delegatos adhuc habet vocem & sessionem in Comitibus Imperii.

§. VIII.

DE NUNTIIS SIVE LEGATIS SEDIS APOSTOLICÆ.

SUMMARIÆ.

1. Dignitas Nuntiorum Apostolicorum. 2. Quotuplex sit differentia legatorum sedis Apostolicæ. 3. Sunt instar Romanorum Proconsulum & Præsulum in Provincia legationis. 4. Possunt condere statuta etiam post discessum suum valitura. 5. Possunt super causa electionis Episcopi examen instituere. 6. An & quando possit se immiscere causæ alteri specialiter delegatæ. 7. Potest judicem delegatum prevenire. 8. Potest sententiam judicis à Papa delegati confirmare. 9. Legati à latere in quo sint digniores Nuntii

Apostolicis? 10. Legati à latere an & quatenus possint conferre beneficia in Provincia sua legationis. 11. Quæ beneficia excipiantur. 12. Legatus à latere, vel qui missus cum potestate legati à latere, an & quatenus possit absolvere ab excommunicatione reservata Pontifici. 13. Quid proprium sit legatis missis seu Nuntiis Apostolicis. 14. Quæ prerogativa competat legatis natis. 15. Recensentur diversi legati nati variarum Nationum. 16. Legati in Provinciis sibi assignatis habent jurisdictionem ordinariam.

1. Maxima inter personas ecclesiasticas refulgent eminentia legati sedis apostolicæ, quos huc refero,

non quasi ordo dignitatis eos huc juberet collocandos, cum eosdem alias statim post cardinales retulisset,

fem, sed quia extraordinaria nec perpetua, ut alii prælati, dignitate aut jurisdictione funguntur.

2 Legati sedis apostolicæ in triplici sunt differentia, legati à latere nimirum, legati missi, legati nati, *legati à latere* dicuntur, qui ex collegio cardinalium ad latus Pontificum Romæ residentium, ex causa legationis in provincias destinantur; *Legati missi* seu *nuntii apostolici* compellantur, qui extra collegium cardinalium ad imperatores, reges, principes, provincias ablegantur. *Legati nati* vocantur, quibus legationis munus cum officio & dignitate quasi connascitur.

Quæres 1. *Quanam sint communia omnibus legatis?*

3 Resp. Quod sint 1 instar Romanorum proconsulum & præsidum, in provincia legationis jurisdictionem & gubernationem habentes, ut ibidem, *evellant & dissipent, & edificent & plantent.* Prout loquitur Clemens IV, in *cap. legatos 2. de offic. leg. in 6.*

4 Secundo: Quod statuta possint condere, post suum discessum quoque duratura, *dict. cap. legatos. & cap. ult. eod.* proindeque in prima statim instantia per viam simplicis quærelæ jure decretalium adiri possunt. *cap. cum non ignoretis 1. de offic. legati* quamvis per concilium Trid. *sess. 24. de reform. cap. 20.* statutum fuerit primam instantiam episcopis seu iudicibus ordinariis, nequidem à sedis apostolicæ legatis præripi vel auferri debere, P, En-

gel n. 10. *de offic. leg.* P. König. *ibid. n. 9.* P. Wiestner. *ibid. n. 9.* nisi scilicet ordinarius intra biennium à die motæ litis numerandum negligat, vel nisi per appellationem à sententia definitiva ad legatum devolvatur.

Et in ipso appellationis processu observandum est *cap. 3. de appellat. in 6.* ut decernit idem Trident. *sess. 22. cap. 7.* & quoad appellationem in causis criminalibus observari debet decretum ejusdem concilii *sess. 13. cap. 3. de reform.*

Tertio: Potest legatus sedis apostolicæ etiam super causa electionis episcopi examen instituere, ita tamen, ut examen & informationes ad Papam mittere debeat, & ex eo tempore non possit amplius in causa procedere, quia interim suspensa est ejus jurisdictione. Prout sumitur ex *cap. licet 5. de offic. legat.* Ratio est, quia si iudex examen causæ, seu causam instructam ad principem seu superiorem referre decrevit cum partium approbatione, & tamen pendente relatione procedat, irritus est processus, tanquam factus à iudice in competente; alioquin enim, si inferior interim posset aliquid in causa procedendo immutare, videretur superioris authoritati illudere, *l. 13. C. de appellat. l. 1. C. de relat. can. 12. caus. 2. quest. 1.*

Quarto: Quamvis legatus sive nuntius (etiam de latere) non possit causam specialiter à S. Pontifice alteri delegatam, ad suam cognitionem trahere, vel sententiam à delegato

Fff 2

delegato in causa speciali, secundum formam mandati, latam irritare, adeoque se non possit immiscere cognitioni ac processui certæ causæ specialiter commissæ, nec impedire commissionem specialem, *cap. studuisti. 2. de offic. legati*, quia scilicet mandatum generale non derogat speciali, quoad illam speciem; neque jurisdictio minoris judicis expirat præsentate majore, *can. 39. caus. 11. quest. 1. can. 6. dist. 95.* id tamen limitatur, nisi causa nova, vel antea non prævisa à delegante superveniat, qua cognita verisimiliter non emanasset illa commissio specialis; quo casu legatus generalis prohibere potest delegato speciali, ne in negotio sibi commissio procedat, vel formam procedendi ei præscribere. *arg. l. 10. ff. mandat. Abbas in cap. 2. n. 2. de offic. legati* limitatur etiam secundo, nisi delegatus specialis contra formam mandati apostolici procedat, tum enim legatus generalis se immiscere & acta ejus rescindere aut declarare potest, quia jurisditionem super causa specialiter commissâ habitualiter retinet. *Imola in cap. 2. n. 3. de offic. legati* idque colligitur argumento à contrario sensu, quia per *cit. cap.* non potest legatus generalis sententiam delegati specialis, si secundum formam mandati lata sit, irritare; ergo si contra formam mandati lata sit, irritare eam poterit. Idem dicendum, si sententia delegati ex alio capite sit nulla, ut quia lata contra jus constitutionis;

tunc enim legatus generalis non impeditur cognoscere & declarare, illam esse nullam.

Quinto: Potest legatus generalis seu ordinarius delegatum in causa prævenire & causam contra impetrantem mandatum seu commissionem specialē cognoscere, antequam litteræ commissionis sint præsentatæ judici delegato, quo casu poterit legatus in causa cæpta progredi; secus si illæ jam fuerint præsentatæ delegato, quia quoad exercitium jurisditionis non attenditur tempus datæ, sed præsentationis litterarum. Hostiensis & alii apud Fagnanum *in cit. cap. studuisti 2. n. 12. de offic. legati.*

Sexto: Quamvis legatus generalis non possit sententiam delegati sedis apostolicæ irritare, potest tamen sententiam rationabiliter latam à delegato confirmare, & executioni mandare, *cit. cap. 2. in fin.* Quæ confirmatio saltem est approbatio quædam seu testimonium quoddam, ad hoc inserviens, ut legatus sententiam à delegato latam, & à se approbatam, nullitatis postea arguere non possit. *Glossa in cit. cap. 2. V. confirmare, & ibidem Hostiensis V. eod. Abbas ibid. n. 5. de offic. legat.*

Corollarium. Quæ dixi hætenus communia esse legatis, & quæ dicam paulo inferius de speciali jurisditione ac potestate, ita intelligenda sunt, quod pendeant tum absolute, tum quoad extensionem aut restrictionem ex vo-
lun-

Iuntate Pontificis delegantis. Layman. in cap. 4. n. 4. Pirrhing §. 2. n. 3. de offic. Legat.

9 Quæres 2. Quenam sit potestas specialis legati à latere?

Resp. 1. Legatus à latere seu Cardinalis majorem, quam alii legati potestatem habet, ideoque eo velut digniore præfente, legatus missus, qui non est à latere, non potest exercere potestatem legationis suæ, sed ipsius officium, licet non omnino expiret, interim tamen quoad exercitium est suspensum, dum Cardinalis legatus ibidem moratur. cap. 8. de offic. legat.

10 Resp. 2. Legatis à latere concessum est, ut ratione muneris sui, adeoque jure ordinario, conferre possint beneficia, in provincia ad quam sunt destinati. cap. 1. in fin. dist. iii. in 6. Pirrhing. loc. cit. §. 3. n. 8. quare sicut Papa, ita & legatus à latere in sua provincia concurrit cum quolibet ordinario in collatione beneficiorum, ita ut inter eos sit locus præventioni, & legati collatio præferatur collationi ordinarii, si utraque eodem tempore facta sit. cap. 31. de præbend. in 6. alii tamen legati sedis apostolicæ, qui non sunt à latere, sive sint nuntii missi, sive legati nati, ex officio legationis sibi generaliter commissæ, nullam habent potestatem conferendi beneficia, nisi hoc ipsis specialiter sit concessum. cap. 1. d. iii. in 6. cap. 4. de supplend. neglig. Prælat.

11 Resp. 3. Quamvis legatus a la-

tere possit conferre beneficia, id tamen non extenditur ad ecclesias cathedrales, regulares, aut collegiatas, vel etiam dignitates, quæ in cathedralibus, post episcopatum majores sunt, & per electionem capitularem conferuntur, has enim legatus suæ ordinationi, collationi, provisioni, aut dispositioni, reservare aut se immiscere, vel electores impedire non potest, quominus libere, cum ecclesiæ vacabant, eligere vel postulare possint, & quidquid contra actum fuerit, eo ipso irritum fit & inane. cap. 4. in Princ. d. iii. in 6. Ratio est, quia id cederet in præjudicium electorum, quorum juri nec ipse Papa facile derogare solet, sed liberam eis eligendi potestatem relinquit. arg. cap. 16. §. illis vero. de præbend. in 6.

Resp. 4. Legatus a Latere nequit conferre beneficia a summo Pontifice suæ collationi reservata, sive generaliter sive specialiter, absque speciali ejus mandato, nam in reservatis scdis Apostolicæ legatus se immiscere non potest. cap. 4. de offic. leg. nec beneficia vacantia in curia. cap. 2. de præbend. in 6. nec etiam potest legatus Papæ conferre beneficia litigiosa. arg. cap. 1. & 2. ut lite pendente. quæ non ab aliis, quam à Papa conferri possunt.

Corollarium. Quæ hæcenus dicta sunt de legatorum potestate conferendi beneficia, probabilius non procedunt, quoad illa beneficia intra 6. menses alternos assignatos per concordata, Germaniæ ordina-

dinariis collatoribus, eos praeveni-
endo; quia haec concordata Nico-
lai V. cum Natione Germanica ha-
bent rationem pacti, cui nec sum-
mus Pontifex derogare solet. Lay-
man. in cap. dilectus. 6. n. 2. de off. legat.

¹² Resp. 5. Legatus à latere, vel qui
potestate legati à latere missus est,
etiāsi Cardinalis non sit, à die e-
gressus sui ex urbe usque ad diem
reditus in urbem potest absolvere
quoscunque clericorum, aut eccle-
siasticarum personarum percussio-
res ab excommunicatione contracta,
etiā propter percussione[m] enor-
mem, siue illi sint de provincia, ad
quam missus est legatus, siue de
alia, etiā post legationem fini-
tam, dummodo à summo Pontifice
non sit revocatus. Colligitur ex
cap. 9. cap. 4. de off. legat. Molina. tract.
de Justit. disp. 9. n. 4. idque introdu-
ctum est tum ob reverentiam Apo-
stolicae sedis, cujus vices gerunt ta-
les legati, tum in favorem anima-
rum, ut periculum morae evitetur.
Non tamen potest talis legatus ab
aliis excommunicationibus Papae
reservatis absolvere, sine speciali
concessione seu mandato, quia in
istis exorbitantibus & prohibitis non
debet fieri extensio de casu ad casum
non expressum. Abbas in cap. penult.
n. 4. de offic. judic. delegat.

Quæres 3. Quid proprium sit legatis
missis seu Nuntiis Apostolicis?

¹³ Resp. Nuntius Apostolicus præ-
ter excommunicationem, à subditis
suae provinciae vel etiā Advenis in
sua provincia per injectionem ma-

num in clericos contractam, à
qua absolvere, potest etiā aliqua
leviora in legationis indulto non
comprehensa, facere. Per text. in
cap. 9. de offic. legat. & ibidem Panor-
mitanus n. 6. cap. 6. de praesumpt. cap.
18. de accusat.

Quæres 4. Quid proprium sit legatis
natis?

Resp. Eis proprium esse, quod¹⁴
eorum potestas non sit personalis,
velut est potestas cæterorum lega-
torum, sed realis atque in succes-
sore in dignitate transitoria cap. 13.
de Privileg. cæterum legatus natus
nequidem provinciales subditos
absolvere potest ab excommunicati-
one lata in percussorem clerici, quia
alias tales percussores nunquam de-
berent pro ab absolutione petenda
adire Papam, cum haberent præ-
sentem superiorem, qui eos absol-
vere posset, & sic clerici illius pro-
vinciae perderent privilegium ca-
nonis.

Porro legatus natus olim in Ger-¹⁵
mania nostra erat Archi-Episcopus
Magdeburgensis, nunc autem est
Salisburgensis; in Anglia Archi-
Episcopus Cantuariensis, in Italia
Pisanus, in Gallia Rhemensis, in Hi-
spania Toletanus, in Polonia Gnesn.

Corollarium. Omnes isti legatis¹⁶
Apostolici in Provinciis ad quas
sunt deputati, vices Papae gerunt, &
loco ipsius ordinariam jurisdictionem
in omnes de Provincia exercent,
atque Apostolica autoritate fun-
guntur, ideoque vicarii Papae sunt &
dici possunt, cap. 1. in fin. de off. legat.
§. IX.

§. IX. & ultimus.

DE PRIVILEGIIS OMNIUM PERSONARUM
ECCLESIASTICARUM,

SUMMARIA.

1. Privilegium fori quid sit? 2. Quamnam gaudent hoc privilegio. 3. An persona ecclesiastica post assumptum clericatum aut professionem religiosam possit in foro seculari conveniri de contractibus aut delictis in seculo admisis? 4. An clericus dimisso clericatu, vel novitius monasterio egressus, possint à iudice laico castigari ob delicta in clericatu vel novitatu admissa. 5. An clericus heres laici teneatur in foro defuncti laici comparere, si tanquam heres actione quadam defuncti nomine conveniatur. 6. Si lis cum defuncto in foro seculari jam coepa sit, an tunc ab herede clerico ibidem continuari debeat? 7. An clericus actor possit coram iudice laico reconveniri? 8. Quale forum clericus in actione reali sortiatur. 9. Personarum Ecclesiasticarum forum competens in causis criminalibus. 10. Si clericus in servitio vel ministerio apud Principem saculares constitutus delinquat vel ex-

cedat, an ratione delicti ab iisdem Principibus puniri possit? 11. Si clericus non solvit vectigal aut gabellam in emptione venditione praestitam, an ipsius merces in commissum cadant. 12. An Clericus reus laesa majestatis ab offenso Principe coerceri possit. 13. Forum competens clericorum in causis feudalibus. 14. Clerici nequeunt renuntiare privilegio fori. 15. Privilegium Canonis quid sit & quos effectus producat. 16. Hoc privilegium quando locum non habeat & obtendi non possit. 17. Describitur privilegium competentiae. 18. Quibus competat? 19. Quando locum non habeat. 20. Immunitas Clericorum quotuplex. 21. Immunitas personalis quid sit. 22. Ad qua se extendat immunitas personalis. 23. An summus Pontifex potuerit Clericis concedere Immunitatem personalem. 24. Immunitas realis quid sit & ad qua se extendat. 25. In quo casu hac immunitas cesset.

Privilegia clericorum quadruplicia sunt (nimirum principaliora) fori, canonis, competentiae, immunitatis. Hinc

Quaeres 1. Quid sit privilegium fori?

Resp. Privilegium fori est prerogativa, qua personae ecclesiasticae à jurisdictione saeculari exemptae,

nullum contra se iudicem agnoscunt, quam ecclesiasticum; hoc privilegio: primo gaudent non tantum clerici strictè sic accepti, sed & clerici paulo latus sumpti, quot. 2. quot nimirum in sortem Domini cooptati, saeculo & rebus saecularibus renunciarunt, hoc est: omnes regulares utriusque sexus. c. 15. can. 38. caus.

caus. 11. quest. 1. cap. 3. de immunit. ecclief. in 6. aub. causa qua. aub. statui- mus. C. de episcop. & cleric. nov. 123. cap. 21. tales sunt secundo: ex clericis qui in minoribus constituti, aut beneficiū habent, aut habitum cum tonsura gerunt, simulque alicui eccliefie ex mandato episcopi inserviunt; vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia episcopi, quasi in via ad majores ordines suscipiendas versantur. Trident. sess. 23. de reformat. cap. 6. tales sunt tertio & illi clerici, qui in majoribus constituti habitum ex causa, vel sine causa dimittunt, si modo vel ab episcopo ter, vel à synodo sub expressa comminatione amittendi privilegii semel moniti resipuerint; & hi omnes ut rei conveniri debent coram competente iudice ecclesiastico; quando enim actoris vices sustinent, subintrat vulgata regula: quod actor sequatur forum rei. cap. 1. & 8. de foro complet.

3 Dubitari potest, an persona ecclesiastica, post assumptum clericatum aut religiosam professionem emissam, possit in foro seculari conveniri, de contractibus aut delictis in statu laicali admissis?

Resp. Distinguendum esse: an clericatus citra fraudem & ex sancto Zelo sit susceptus, aut professio emissam, quo casu conveniri nequit coram iudice laico. an vero in fraudem legis, ut evitet supplicium? & tali casu conveniri posse affirmandum est, cum Farinacio lib. 1. pax. crim. tit. 1. quest. 8. n. 104. Covarruv. pract. 99. cap. 32. n. 4. conclus. 1. & 2,

Ratio prioris partis est, 1. quia jura hactenus citata personas ecclesiasticas absolute eximunt à foro seculari, 2. est regula generalis, eos qui una cum statu forum mutant, super actibus præteritis in foro deserto conveniri non posse. l. 12. in princ. ff. de accusat. l. 4. §. 5. ff. de re milit. insuper est textus specialis in clement. 1. de vit. & honest. cleric.

Ratio posterioris membri fundatur tum in l. ult. in princ. ff. de re milit. l. 21. C. ad l. Cornel. de fals. ubi qui militiam vel decurionatum susceperunt, non possunt se eximere foro, cui ratione delicti antea perpetrati subjecti erant; Tum etiam in regula juris, quod sua fraus & dolus nemini debeat patrocinari. cap. 16. de rescript. Quodque privilegium clericorum non debeat esse fomentum & fomes delictorum.

Dubitari potest 2. An Clericus dimisso clericatu ad seculum reversus, vel novitius monasterio egressus, possint à iudice laico castigari ob delicta in clericatu vel monasterio commissa?

Resp. Negative. ita Barbofa J. E. V. lib. 1. cap. 39. §. 2. n. 98. Marta de jurisdic. part. 4. casu 121. Covarruv. loc. cit. cap. 31. n. 8. Ratio est, quia in castigandis delictis ad hoc ut delinquens gaudeat suo privilegio, inspicitur tempus delicti. arg. l. 1. in princ. ff. de panit. tunc enim privilegium maxime operari debet, ubi est maximè necessarium, quod sit tempore delicti, quo forum speciale contrahitur. Cum ergo

ergo cum in casu posito personæ delinquentes, admisi delicti tempore privilegio fori clericalis munitæ fuisse præsumantur, id privilegium etiam postea retinere censendæ sunt.

Cum itaque personæ ecclesiasticæ quoad forum in actionibus personalibus sint privilegiatæ: dubitari potest

5 Primo: An si clericus hæres sit laici, teneatur in foro defuncti laici comparere, si tanquam hæres actione quadam defuncti nomine infestetur? & quidem si lis cum defuncto nondum sit cæpta, satis convenit inter canonistas & civilistas, clericum in foro proprio conveniendum esse, juxta Abbatem in *cap. quia 11. de judic. n. 12.* Covarruv. *pract. q. q. cap. 8. n. 4.* Gail. *1. lib. 1. obs. 37. n. 10.* Ratio desumitur ex *l. 19. in princ. ff. de judic.* ibi: *hæres absens ibi defendendus est, ubi defunctus debuit, & conveniendus, si ibi inveniat, nulloque suo proprio privilegio excusatur.* cum ergo privilegium fori, quo gaudent clerici, non sit clericis in singulari proprium & speciale, sed universo clericorum ordini commune, ac in corpore juris clausum, certe clericus tanquam hæres laici in foro defuncti conventus, recte communi suo privilegio excusatur.

6 Major controversia urget, si lis cum defuncto in foro sæculari jam cæpta sit, an tunc ab hærede clerico ibidem continuari debeat?

Affirmativam tenet Covarruv. *cit. cap. 8. n. 8.* Gail. *d. obs. n. 8. & 9.*

Haunold. *tom. 5. tract. 1. n. 237.* quorum ratio prima est, ex *l. 30. ff. de jud.* quia judicium, ubi acceptum semel, ibi & finem accipere debet, cum instantia cum defuncto contracta, hæredem quoque obstringat. 2. Fundantur in identitate personarum, hæredis & defuncti, quorum uti actiones & obligationes sunt eadem, sic & judicium est idem. *l. 34. ff. de tit.* 3. Æquitas naturalis nullatenus pati videtur, ut actoris causa ob hæredis personam evadat deterior, isque in una instantia duplicem judicem adire cogatur.

Resp. Negative. Ratio prima est, ex *l. 19. in princ. ff. de judic.* ubi indefinite deciditur: hæredem in foro defuncti non esse conveniendum, quando non proprio sed communi & in corpore juris clauso privilegio munitus est, nec distinguitur, sit ne lis cum defuncto jam cæpta, nec ne; quapropter aliis quoque distinguere non erit licitum. 2. In *l. 32. §. 4. ff. de recept. qui arbit.* ubi Jctus Ethnicus ait: *sacerdotio obviente non cogi arbitrum sententiam dicere; Id enim non tantum honori personæ, sed & majestati Dei indulgetur, cujus sacris vacare sacerdotes oportet.* si ergo, dum clericatus supervenit ex parte arbitri, post arbitrium jam susceptum, arbiter clericus non amplius cogi possit ad sententiam dicendam, quia videlicet & statum & personam & forum mutavit: quis coget clericum ad judicium in foro sæculari profequen-

Ggg

quen-

quendum, si laico in lite succedat? cum & ipse statum & personam ac forum mutaverit? 3. Si clericus litem cum defuncto inchoatam, coram iudice saeculari teneretur prosequi, id proveniret ex titulo praeventionis. Atqui id titulus praeventionis efficere nequit: sicut enim tollere non potest privilegium fori clericalis, & facere ut clericus, coram iudice laico comparere debeat, sic efficere non potest, ut iudicium coram eodem finire obstringatur.

Resp. ad 1. Quod quidem iudicium in uno loco captum, in eo continuandum sit, sed hoc tamen principium fallere, quando succedit persona privilegiata; sicuti & tunc fallit, quando causa inferiori iudicio jam pendens a superiori advocatur.

Resp. ad 2. Quod iura, obligationes ac forum defuncti & haereditis communia sint, hac tamen communione non obstante haereditatem non posse conveniri in foro defuncti, si forum iure communi privilegiatum haeres sortiatur. vel defunctus & haeres sunt una persona, ita tamen ut haeres privilegium quod habet non amittat, C. patet in pupillo & minorene, qui si majorenni succedat, nec praescriptionis, nec restitutionis privilegium amittit, per l. 19 ff de Minor. 25. ann. sunt una persona, ita ut haeres privilegium iure communi concessum amittat N.

Resp. ad 3. Negando quod

aequitas naturalis prohibeat, ne actor in una instantia duplicem adire iudicem cogatur, prout patet, cum supremus iudex causas in inferiori iudicio jam pendentes ad se advocare possit, absque eo quod ulli praedictum causare censeatur, quia expensas majores, quae tunc causantur, is qui temere litem aut incepit aut suscepit, refundere tenetur; vel distinguo aequitas prohibet, ne quis in eadem instantia teneatur adire duplicem iudicem Laicum & in foro saeculari T. si succedat iudex ecclesiasticus, & impediatur privilegium commune quoniam prior instantia observari possint. N. nunc

Quaeres 1. Si Clericus laicum coram iudice laico convenit, an possit clericus coram eodem iudice a convento reconveniri?

Resp. Negative. ita Panormitan. in cap. 4. de iudic. n. 2. Layman. ad cap. 1. de mut. pet. conclus. 4. D. König. ad tit. de mut. petit. n. 8. Pirrhing. ibid. n. 9. Umm. de Proc. disp. 10. th. 2. num. 8.

Ratio est, quia haec reconventio clerici coram iudice saeculari nec iure civili nec canonico permessa est; non iure civili: hoc enim nec potuit nec voluit, generalitate suorum textuum in l. 22. ff. de iudic. l. 14. aub. & consequenter. C. de sent. & interlocut. Nov. 96. cap. 1. & 2. Clericis reis forum suum privilegiatum auferre, cum non genus speciei, sed species generis deroget. nec etiam iure canonico: id enim cum abso-

absolute jubeat, ut clerici tanquam personæ superioris ordinis judicentur à judicibus ejusdem ordinis, nec inferiorum seu laicorum arbitrio submittantur. *can. 6. can. 7. & seqq. dist. 96. cap. 17. de judic. cap. 2. cap. 4. cap. 5. cap. 12. cap. 13. de foro compet.* prohibet quoque ne coram laico iudice reconveniantur, cum eadem prorsus ratio conventionem & reconventionem prohibeat, ne videlicet illi, qui alterius & superioris sunt ordinis, ab iis, qui inferioris sunt ordinis, judicentur.

Probatur 2. Clerici nequeunt iudicis sæcularis jurisdictionem in se prorogare; jam autem reconventio fundatur in tacita prorogatione jurisdictionis *l. 14. C. de sentent. & interloc.* ubi Imperator rationem introductæ reconventionis reddit, *cujus enim, inquit, in agendo observat actor arbitrium, eum & habere contra se iudicem in eodem negotio non dedignetur.*

Probatur 3. Clericus nequit reconveniri coram iudice laico, quoties causa ecclesiastica controvertitur *cap. 2. de judic. ibi: Laici Ecclesiastica tractare negotia non presumant.* Atqui quando clericus reconvenitur, tunc causa vere dicitur Ecclesiastica, denominatione à persona, quam tangit, desumpta.

Objicies 1. Si laicus clericum conveniat coram ecclesiastico iudice, coram eodem à clerico reconveniri potest. Ergo etiam si clericus laicum conveniat coram iudice laico,

poterit ibidem reconveniri: cum non deceat clericum esse melioris conditionis in reconventionem, quam laicum.

Resp. N. Conseq. disparitas inter clericos & laicos hæc est, quod inconveniens plane sit, superiorem ab inferiore judicari; cum tamen nullatenus dedecet, inferiorem superioris iudicio subterni.

Objicies 2. Iudex laicus non est absolute incapax jurisdictionis in clericum, cum eidem de facto actor clericus fuerit subjectus in ordine ad sententiam definitivam, quæ in non subditum pronuntiari non valet. Ergo.

Resp. ad antec. in clericum actorem non aliter exerceri jurisdictionem, quam negative, declarando scilicet per sententiam, nihil juris adversus reum ipsi competere. Cæterum, si etiam admittamus positive jurisdictionem in ipsum exerceri, eodem modo discurrere oportet, quomodo de legibus civilibus obstringi clericos docetur; vel etiam sententia contra clericum est justa vel injusta? Si prius: fringit clericum non aliter ac lex civilis justa, scilicet indirecte; si posterius: nullo modo habet robur.

Objicies 3. Clericus potest à iudice laico condemnari in expensas; & hoc ideo, quia æquitas naturalis postulat, ne causa principalis separetur à causa accessoria & connexa. Ergo clericus etiam reconveniri potest; quia æquitas naturalis suadet, ne causa conventio-

Ggg 2

nis

nis & reconventionis ob mutuam connexitatem dividantur.

Resp. 1. N. antec. Expensæ enim contra clericum temere litigantem in foro ecclesiastico probabilius pendendæ sunt.

Resp. 2. T. anteced. N. conseq. quia major connexio inter expensas & causam principalem intercedit, quam inter causam conventionis & reconventionis: nam prior connexio est ex natura rei, posterior ex libera dispositione juris positivi. 2. Altera disparitas est, quia condemnatio in expensas potest fieri citra usurpationem jurisdictionis in clericum, secus reconventio, in qua clericus ad causam citari, & si contumacem se ostenderet, processus in contumaciam formari deberet.

Quæres 2. Quale forum clericus in actione reali sortiatur?

Resp. Quod clericus non minus in realibus actionibus, considerato jure communi, foro privilegiato gaudeat. Abbas in cap. 10. de constit. n. 22. Covaruv. pract. quæst. cap. 31. n. 5. P. Engel. de foro compet. n. 40. D. Konig. ibid. n. 30. D. Francisc. Schmier, tract. de judic. cap. 3. sect. 6. §. 3. n. 179. contra Gail, lib. 1. obs. 37. n. 4. Mynsing. centur. 1. obs. 22.

Ratio prima: Quia clericos in causis realibus quoque exemptos esse, deduci potest tum ex manifesto textu in cap. 4. de censib. in 6. tum quia personarum exemptio parum clericis prodesset, nisi & ratione bonorum quæ habent, exem-

pti forent, cum & in actione reali possessorem conveniri, ac si contumaciter absit, immisionem in illius bona decerni, constat ex l. 2. C. ubi in rem actio, unde enatum axioma ex l. 43. ff. de R. V. ea, quæ religionis adhærent, religiosa censerentur, ac bona conditionem personæ seu accessoria suam principale sequi. l. 28. in princ. ff. de usur. & fruct.

Ratio 2. Quia jus canonicum clericorum causas simpliciter & absolute eximit e potestate sæculari, nec vult clericos tanquam reos coram iudice profano stare. Atqui causa realis clericorum est causa clericalis, respiciens immediate commodum & incommodum clericorum, Ergo

Ratio 3. Quia & jus civile prorsus indistincte clericos a foro sæculari facit immunes. auth. nullus episcopus. auth. causa quæ. auth. clericus. auth. statuimus. C. de episc. & cler. in qualibet causa civili & pecuniaria clericos ad forum sæculare evocari prohibet; adeoque & causas clericorum reales quæ etiam civiles & pecuniariæ sunt, foro sæculari subtrahit.

Objicies 1. Actio realis non tam in personam quam in rem dirigitur. §. 1. inst. de act. ergo movenda est in foro rei sitæ, l. ult. C. ubi in rem actio.

Resp. Actionem realem in rem dirigi; jurisdictionem vero & iudicium non in rem velut aliquid in animatum & jurisdictionis incapax, sed in rei possessorem dirigi, & con-

consequenter actionem realem in foro rei sitæ institui quidem posse contra clericum, ita tamen ut episcopus rei sitæ adeatur. *cap. 3. de foro compet.*

Quoniam vero pluribus in locis consuetudo invaluit, ut clerici sine scrupulo iudicem profanum in causis realibus agnoscere cogantur, difficilior superest quæstio, an talis consuetudo defendi possit? *Covarruv. loc. cit. Zoëf. ad decret. de for. compet. n. 24. Schambogen ibid. n. 31.* & alii tacite eam defendere videntur, imo alii expresse eam defendunt ex ea ratione, quod consuetudo tantarum sit virium, ut legem humanam, canonicam & civilem tollere possit, adeoque & privilegium fori clericalis in actionibus realibus. Verum quia probabiliter exemptio clericorum ex jure divino descendit, ea per consuetudinem contrariam, sicut & ipsum jus divinum contraria consuetudine tolli nequit, imo etiam si descenderet ex solo jure humano, tamen contraria consuetudo non subsisteret, quia utroque jure canonico & civili reprobata. Nam consuetudo quævis immunitati ecclesiasticæ contraria damnatur per bullam Urbani Octavi editam 5. Junii Anno 1641. & quot annis per bullam cænæ coram Principum oratoribus solenniter promulgari consuetam reprobatur.

Denique argumentantur: Principes sæculi res possunt jurisdictionem in bonis, quæ noviter ad Ec-

clesias vel personas ecclesiasticas transferuntur, jurisdictionem sibi reservare; *arg. cap. 23. de jure patron. cap. 4. de condit. apposit.* Ergo etiam possunt decernere, ut bona, quæ noviter ita transferuntur, petantur coram iudice sæculari. Ergo etiam possunt urgere observantiam hujus decreti. Ergo si de facto prætendant, ut in causis realibus respondeant clerici coram iudice sæculari, reprehendi nequeunt, quia signum est, quod tum ipsi, tum antecessores eorum, jurisdictionem sibi reservaverint in bonis ad ecclesias & personas ecclesiasticas translatis.

Resp. 1. Negando, quod citra consensum Pontificis talis reservatio subsistat, tum quia si talis reservatio esset per se licita, non deberet summus Pontifex consuli pro facienda contributione ex bonis ecclesiasticis, in casu necessitatis, quod tamen requiritur, *per cap. 4. & cap. 7. de Immunit.* tum quia pactum non potest habere majorem vim, quam statutum, quod tamen, si libertati ecclesiasticæ repugnet, declaratur irritum ab Imperatore Friderico *in autb. cassæ C. de SS. Eccles.* interim, quando princeps aliquis per tempus immemorabile in causis clericorum realibus jus dixit, præsumptionem habet, quod jurisdictionem legitima & rite approbata reservatione, vel alias ex privilegio Apostolico nactus fuerit: cum enim cursus temporis immemoralis præsumptionem privilegii, tituli

& legitimæ acquisitionis operetur, sane pro Principe, qui per tempus immemorabile in causis clericorum realibus jus dixit, præsumptio nascitur, quod jurisdictionem legitime hæctenus exercuerit.

8 Quæres 3. *Quale forum clerici habeant in causis criminalibus?*

Resp. Clerici à foro & jurisdictione sæcularium etiam in causis criminalibus eximuntur.

Ratio est, quia causæ criminales vel maxime sunt personales, tum etiam, quia reverentia personarum Deo sacratarum postulat, ut causæ criminales clericorum sine strepitu & contentione fori sæcularis discutiantur, prout religiose jam pridem sensit Magnus Imperator Constantinus, dum clericorum accusatione ad se delata; *Vos, inquit, bat, Dii estis à vero DEO constituti, Itæ & inter vos causas vestras discutite: quia dignum non est, ut judicemus Deos.* Prout refertur in *can. 5. can. 41. caus. 11. quest. 1.* qui ipse pientissimus Princeps alia vice dixisse narratur, in *can. 8. dist. 96. verè, si propriis oculis vidissem sacerdotem DEI, aut aliquem eorum, qui monachico habitu circumamicti sunt, peccantem, chlamidem meam exspoliarem, & cooperirem eum, ne ab aliquo videretur.*

Dubitari potest, si persona ecclesiastica in servitio vel ministerio apud Principes sæculares constituta, delinquant vel excedant, an ratione delictorum ab iisdem principibus puniri possint?

Resp. Quod puniri nequeant, certa in jure, & in conscientia magis tuta est sententia, prout cum Diana, Ambrosino, Haunold, & multis aliis tenet Pignatellus *tom. 2. consult. 27. n. 5.* ratio est, quia personæ ecclesiasticæ, quamdiu manent tales, privilegiatum forum obtinent, nec illud amittunt, etsi alibi delinquant; *cap. 4. de judic.* etsi autem illicitis negotiationibus operam dent, adhuc retinent idem forum, antequam ter fuerint moniti à judice ecclesiastico, *cap. ult. de vit. & honest. cleric.*

Dubitatur 2. Si clericus non solverit vectigal aut gabellam in emptione venditione præstitutam, an merces ipsius in commissum cadant & fisco judicis sæcularis cedant, ab eoque auferri vel arrestari possint?

Resp. Negative. Ratio est, quia clericis legibus civilibus quoad vim coactivam non adstringuntur, adeoque punitio & arrestatio nequit fieri a judice laico. D. Francisc. Schmier *loc. cit. §. 4. n. 205.* aliique ab eo relati.

Gravissima denique superest controversia: *An clericus criminis lese majestatis reus, ab offenso principe coerceri possit?*

Negant turmatim DD. Abbas in *cap. 4. de jud. circa fin.* Marta de *jurisdict. part. 4. cent. 1. casu 133. n. 27.* Pignatellus *tom. 1. consult. 124. n. 2.* & alii plures. Ratio, quia in *cap. 4. cap. 10. de judic.* clericus ob nullum prorsus crimen punitioi sæcula-

ris iudicis obnoxius est. Tum quia in *can. 190. caus. 22. quest. 5. in fin.* Clericus in mortem Principis conspirans degradari iubetur. Atqui ante degradationem iudex laicus in clericum nequit manus extendere. Afferunt tamen aliqui clericos conspirationi ac rebellionem se immiscerentes tanquam hostes non solum in confictu, sed etiam post illum, non jure jurisdictionis, sed jure defensionis ab offenso Principe capi; antea tamen in ipsos procedi non posse, quamdiu in foro ecclesiastico iustitia administranda speratur.

Corollarium. Juxta probabilem sententiam, quam tenent Panormitanus *ad cap. 35. de sentent. excommunicat.* Felinus *in cap. 3. eod. tit.* Covarruv. *lib. 2. var. resolut. cap. 1. n. 9.* & alii, potest clericus in flagranti crimine deprehensus a iudice laico capi & postea ad iudicem ecclesiasticum deduci. Ratio est, quia clerici in flagranti crimine (si unum ex atrocioribus sit) deprehensi, plerumque fugam meditari solent, ac proinde nisi iudicibus laicis concedatur potestas illos capiendi, & ad iudicem ecclesiasticum deducendi, dabitur clericis causa elabendi, & sic liberius ac impune peccandi. Textus *in cap. 3. cap. 35. de sent. excommunicat.* qui videri possunt obstare, vel non loquuntur de clerico in flagranti deprehenso, sed post delictum jam consummatum capto, vel supponunt periculum fugæ non subesse,

Quæres 4. *Quale forum clerici in 12 causis feudalibus sortiantur?*

Resp. Clerici æque ac laici in causa feudali subjiciuntur iudici feudali, prout traditur *in cap. 5. de judic. cap. 6. cap. 7. de for. compet.* & ratio est, quia dum causæ feudales ex antiquissima consuetudine speciales semper habuerunt iudices, eaque conditione feuda conferuntur vasallis, ut illorum ratione coram iudice feudali respondeant; clerici quoque feuda a dominis secularibus recipientes eandem conditionem servare tenentur, ecclesia connivente, & juxta recitatos textus consentiente. Gonzalez *in cap. 5. de judic.* Rationem aliam dat Panormitanus *in cap. 7. dist. 11.* quod cum rei feudalis dominium directum maneat penes concedentem, ille per se vel suos de feudali causa cognoscendo, quasi de re propria cognoscere & iudicari videatur. Dubitari potest, utrum iudex feudalis, an vero iudex ordinarius ecclesiasticus notionem habeat, quando in causa feudali contra vasallum clericum agitur ex crimine ad privationem feudi?

Resp. Si delictum clerici sit mere feudale, hoc est: solo jure feudali prohibitum, veluti si vasallus clericus feudum inconsulto domino alienet, investituram tempore debito non petat, periculum domino non denuntiet &c. notionem iudici feudali deferendam esse. prout sentiunt Fagnanus *in cap. ceterorum. de judic. n. 29.* P. Wiestner *num.*

n. 112. de for. compet. D. Schmier. loc. cit. §. 5. num. 218. aliique ab eo relati.

Ratio est; partim quia causa mere feudalis, ex dictis pendet ab arbitrio iudicis feudalis, partim quia delicta mere feudalia non tam personam vasalli infamant, quam causam privationis Domino subministrant; partim quia, qui potest cognoscere de contractu, potest etiam cognoscere de distractu, seu causis, ex quibus contractus resolvitur.

Si vero delictum non mere feudale sed commune sit, hoc est jure communi prohibitum, habens tamen ex jure feudali privationem feudi connexam, uti si vasallus in crimen prodicionis incidat, parricidium aut stuprum inferat uxori vel filiae domini directi: tunc probabilius est, domino directo notionem de crimine non competere; ita cum AA. cit. Abbas in cap. verum. 7. de foro compet. n. 7. Barbosa J. E. V. lib. 1. cap. 29. n. 135. Ratio est, quia à regula, quod clerici in criminibus nequeant judicari à laicis, nullibi sunt excepta crimina communia, in quibus agitur ad privationem feudi. Ergo à regula hac recedere non licet, quia in materia immunitatis non licet argumentari à paritate, sed illud omne reperitur prohibitum, quod auctoritate pontificia expresse non concessum est.

13 Corollarium. Huic Privilegio fori, de quo hactenus dictum est,

etiam accedente consensu ordinarii renunciare non possunt clerici; textus & ratio est in c. 12. de for. comp. ibi: manifeste patet, quod non solum invisi sed etiam voluntarii pacisci non possunt, ut secularia judicia subeant, cum non sit beneficium personale: cui renunciari valeat, sed potius toti collegio ecclesiastico sit publice indultum, cui privato pacto derogari non potest. textum alium habes cap. 18. d. tit.

Alterum personarum ecclesiasticarum privilegium est, & dicitur Canonis, quod est prerogativa, qua clerici ab omni violenta percussione vel injuriosa laesione specialiter immunes pronuntiantur. Ejus origo tam quoad nomen, quam quoad effectum promanat ex canone seu constitutione concilii lateranensis sub innocencio II. habiti, prout refertur in can. 29. caus. 17. quest. 4. ibi: si quis suadente diabolo hujus sacrilegii reatum incurrit, quod in clericum vel monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus episcoporum illum presumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec apostolico conspectui presentetur, & ejus mandatum suscipiat. Ratio hujus privilegii non obscura est: quia, sicut in statu politico dantur quaedam personae sanctae, quas violare, ausu temerario attingere, & percutere nefas est, sic jure merito in statu ecclesiastico quaedam personae sunt, quas violenta manuum injectione temerare, grande piaculum & sacrilegum est, juxta il-

aud

Iud Zachariæ 2. vers. 9. *Qui tetigit vos, tangit pupillum oculi mei*; quot quot igitur statui ecclesiastico annumerati reperiuntur, sancti censentur eo sensu, ut sine sacrilegio & anathemate nequeant ab ullo pulsari, verberari, capi, incarcerari, occidi, vel alia injuria reali offendi; *d. can. si quis suadente, caus. 17. quest. 4. cap. 3. cap. 5. cap. 9. cap. 10. cap. 29. cap. 33. de sentent. excommunic. Barbosa J. E. V. lib. 1. cap. 39. §. 1. n. 15. & seqq.* quo privilegio ipsi etiam gaudent novitii, quia in materia favorabili habendi pro professis. *cap. 21. de sent. excomm.*

Nec interest quoad injuriantes, utrum nomine proprio vel alieno, per se vel per alium, physice aut moraliter in clericos delinquant, nam etiam qui mandant, consulunt, & cum possent, *manifesto facinori desinunt obviare*, delinquent contra privilegium canonis & illius pœnam incurrunt, *cap. 6. §. illi vero. cap. 24. cap. 47. de sentent. excomm.*

15 Corollarium cessat hoc privilegium, cum annexa in transgressores pœna:

1. Quando persona ecclesiastica propter delictum amittit privilegium fori: tunc enim privilegium canonis plerumque simul amittit.

Cessat 2. quando clericus non injuria, sed correctionis causa, à superiore vel magistro moderate castigatur. *cap. 1. cap. 10. cap. 24. de sentent. excomm.*

Cessat 3. Quando justis doloris, quem continere difficillimum judicatur, magnitudo concurrat, ac clericus v. gr. cum percutientis uxore, matre, filia, vel sorore, turpiter agere deprehenditur. *cap. 3. d. tit.*

Cessat 4. Quando clericus non ex vindicta, sed justa defensione, cum moderamine inculpatæ tutelæ, percutitur, *d. cap. 3. cap. 10. de sentent. excomm.* Servatur autem moderamen, si servetur imprimis modus, & tanta sit propulsatio injuriæ, quanta ad defensionem est necessaria: neque enim is, cui clericus impingit alapam, potest re-percuttere, nisi probabiliter timeat, ne altera & tertia sequatur; Deinde si servetur tempus, ac defensio fiat in continenti: quia ex intervallo non potest amplius habere locum defensio, ubi cessat invasio. *Barbosa loc. cit. §. 1. n. 66.*

Tertium privilegium, quod 16 personis ecclesiasticis conceditur, est privilegium *competentiæ*; quod est prærogativa, qua personæ ecclesiasticæ, debitis onerata, nec excommunicari, nec incarcerari, nec ad bonorum cessionem compelli, nec à suis creditoribus in plus conveniri possunt, quam facere possint, deducta congrua sustentatione; ideoque vel fructus beneficii, si quod habeant, deducta congrua, in solutum cedere, vel juratoriam cautionem præstare debent de integre solvendo, si ad pinguiorem fortunam pervenerint;

H h

prout

prout habetur in *cap. 3. de solut.* Rationes illius varias assignat Gonzalez. *ibid. num. 14.* inter quas prima est: quia de jure civili simile privilegium concessum est militibus, *l. 6. in princ. l. 38. de re jud.* adeoque conveniens est, ut jure canonico clerici, qui sunt milites Christi. *can. 19. caus. 13. quest. 8.* non minori privilegio honorentur; 2. quia de jure civili memoratum privilegium tribuitur omnibus fere personis, quibus aliqua debetur reverentia, puta marito, patri, patrono, si ab uxore, liberis aut libertis conveniantur. *l. 16. l. 17. l. 30. ff. de re judic.* unde nec clericis, quibus ob eminentiam status utique debetur reverentia *can. 8. & seqq. dist. 69.* negandum erat. 3. est, quia per sepe ceteroquin accideret, ut clericus, debitis ultra modum gravatus, usque ad sacculum & peram excuti, & cum opprobrio status ecclesiastici mendicare deberet contra dispositionem Tridentini *sess. 21. de reform. cap. 2.*

27 Competit hoc privilegium clericis non tantum secularibus, sed etiam regularibus, constitutis non solum in ordinibus majoribus, sed etiam minoribus, eo quod *cit. cap. 3. de solut.* tanquam constitutio favorabilis & de clericis generaliter loquens, amplissimam extensionem mereatur; Barbosa *J. E. V. dict. lib. 1. cap. 39. §. 6. n. 15.*

Indulgetur hoc privilegium clericis citra causas civiles tum reales, tum personales, quando agitur

ad solvenda debita vel interesse ob rem deperditam, aut amissam restituendam, prout colligitur ex *cit. cap. 3. de solut.* ibi: *quibusdam debitis convenissent.* Quando autem agitur ad rem actoris propriam restituendam, sive rei vindicatione, sive actione personali commodati, depositi, &c. tenetur clericus rem illam, non attento competentia privilegio, restituere. Covarruv. *l. c.* in delictis verò videndum est, an agatur civiliter vel criminaliter ad interesse publicum, seu multam pecuniariam fisco inferendam? posteriore casu clericus, qui non habet in aere, in corpore luere debet. *per cap. 5. de dolo & contumac. l. ult. ff. de in jus vocand.* priore casu beneficium competentia procedit, *arg. cit. cap. 3. de solut.* quod simpliciter de debito loquitur, absque distinctione, an ex contractu, vel delicto descendat.

Cessat hoc privilegium 1. quando clericus ob debitum conventus, judicialiter & pertinaciter suum debitum negat. *arg. cit. cap. 3. in verb. recognoscensem hujusmodi debita.* prout etiam in jure civili neganti debitum negatur beneficium cessionis bonorum. *l. penult. ff. de cession. bonor.* Et neganti se socium esse, negatur beneficium competentia. *l. 67. §. ult. ff. pro socio.* Quod si extra judicium negaverit debitum, aut in judicio quidem negaverit, sed ante sententiam fuerit confessus, est locus privilegio. Fagnanus in *cit. cap. Odoardus, 3. n. 56. de solut.*

Cessat

Cessat 2. Quando clericus dolose versatus est, ut si finxerit se non esse clericum, vel falso jactaverit se esse divitem, vel bona sua dissipaverit, aut destruxerit in fraudem &c. Gonzalez. ad cit. cap. 3. n. 16. Non enim decipientibus jura succurrere solent. l. 37. §. 1. ff. de minor. l. 30. in princ. ff. ad SCtum Vellejan. l. penult. ff. de jure dot. Dolus si absit, clerico non erit negandum hoc beneficium, licet in ludo, luxu, luxuria dilapidaverit sua bona. Hostiensis. in cit. cap. 3. n. 3. Fagnan. ibid. num. 35. Militant namque rationes omnes concessi privilegii pro tali clerico; nec textus occurrit, quo illius privatio statuatur.

Cessat 3. Quando clericus ex delicto amittit privilegium fori: talis siquidem in consequentiam amittit privilegium competentiae. arg. cap. ult. de vita & honest. clericor. cap. un. eod. in 6. cap. 1. de homicid. in 6.

Cessat 4. Quando clericus eisdem renunciat, non quidem simpliciter (cum enim non in favorem privatum clericorum, sed in honorem totius ordinis clericalis introductum esse noscatur) non magis renunciationem simplicem admittit, quam privilegium canonis & fori.

19 Quartum Privilegium clericis
20 concessum est *immunitas*, quæ est
vel personalis vel realis, immunitas personalis est prærogativa personis ecclesiasticis concessa, vi cujus à communi laicorum subjectione

ne, onere & obligatione eximuntur.

Dixi: *onere & obligatione*, intellige personali, cujusmodi onera & obligationes sunt munera tutelæ, curatelæ; Angariæ & Perangariæ, hoc est; operæ personales, Frohn dienst/ Scharwerk/ robalten/ viatica & telonia personalia, Zoll/ und Mauth/ Gelder/ census personalis seu capitatio, Kopf/ oder Leib/ Steuer; à quibus & aliis ex actionibus personæ ecclesiasticæ sunt immunes. per cap. 1. de Immunit. Eccles. in 6. l. 1. l. 2. in princ. §. 2. & 3. C. de Episc. & Cleric. auct. item nulla. C. eod.

Quod autem summus Pontifex clericos à jurisdictione seculari potuerit immunes facere, (probabiliter enim etiam de jure divino hanc immunitatem obtinent) ratio fortissima est, quia summus Pontifex potest condere leges, in quantum hoc exigit utilitas vel necessitas rectæ gubernationis Ecclesiæ, sed utilitas æque ac necessitas rectæ gubernationis ecclesiæ suadet exemptionem clericorum à communi subjectione, onere & obligatione laicorum, ut eo liberius vacare possint servitio divino, nec secularibus operibus semet immiscere teneantur; tum quia summus Pontifex non minorem prærogativam clericis suis concedere potest, quam concessa fuerit levitis in antiquo testamento, in quo à subjectione laicorum erant immunes. Gen. 47. v. 22. Levit. ult. v. 28. Num. cap. 18. vers. 8. & 9. Quæ causa est, quod ipsimet principes seculares

Hhh 2

lares

lares hanc immunitatem censuerint æquissimam, eamque suis constitutionibus muniverint & stabili verint, ut constat ex *auth. causa qua. auth. clericus, auth. statuimus; C. de Episcop. & Cleric.* sicut universus propemodum orbis in hanc immunitatem consensit. Qui hanc immunitatem velut iniquam arguunt, sic arguunt: quamdiu Ecclesia sub ethnicis principibus militabat, omnes Christiani, tam clerici quam laici, in Regum ac Imperatorum potestate fuerunt, quando deinde principes ad fidem sunt perducti, omnes clerici manserunt eodem ordine, cum neque lex Christi (qui neminem suo privat dominio) principibus ademerit suam potestatem; neque principes, licet clericis aliquam dederint exemptionem, eos à se tam liberos dimiserint, aut dimittere potuerint, ut ipsis amplius non subessent, nec majestatem agnoscerent.

Resp. Illis, qui ita arguunt, merito esse occinendum illud *Psalm. 104. vers. 15. Nolite tangere Cristos meos.* & *Zachar. 2. cap. vers. 9. qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei.* Quod autem clerici primis ecclesie temporibus fuerint sub principum ethnicorum potestate, & paruerint principibus lumine fidei destitutis: Dist. subsuerunt de facto. C. de jure N. sic Ecclesia nunquam destitit suam jurisdictionem in clericos, quantum poterat, asserere & exercere, quandoquidem in canonicis Apostolorum *can. 73.* expresse

dicatur, ut Episcopus *de aliquo accusatus*, ab aliis Episcopis citetur, judicetur & puniatur; quinimo adversarii probarent ab exemplo Principum ethnicorum, quod nequidem in causis spiritualibus clerici à potestate seculari liberi sint; nam spirituales causas ad se trahere, & renitentes Christianos gravissimis pœnis subicere nitebantur Principes gentiles. Deinde:

Quod Christus neminem suo jure privet, permitti potest, sed negandum est suppositum, quod secularis Princeps in clericos unquam habuerit potestatem, cum illi specialem hierarchiam, ordinem & rempublicam constituent. Deinde cum Christus Petro ejusque successoribus dederit potestatem gubernandi fideles, & pro ecclesie utilitate ferendi leges, potuit utique S. Pontifex legem condere, atque clericos suæ jurisdictioni subicere, absque eo, quod præjudicium intulerit Principibus secularibus, quibus jurisdictio solummodo competit in laicos.

Alii dicunt, clericos esse cives & membra reipublicæ adeoque ad onera Reipubl. ferenda obstringi. Sed his respondetur, illos esse quidem cives & membra, sed non qualiacunque, potius autem privilegiata & exempta, cum nec æquitas nec ulla necessitas postulet, ut æquali cum reliquis civibus jure considerentur.

Plures

Plures etiam negant, clericos proprie & vere cives Reipublicæ nuncupari, cum licet in territorio laicorum vivant, non tamen sint de territorio.

Præterea inter sollemnissima, quæ obijciunt, allegant exemplum Salomonis, qui in testamento veteri summum sacerdotem Abiathar, quod conjuranti Adoniæ consensisset, capitis reum pronunciavit. 3. Reg. cap. 2. Verum exemplum illud non ostendit, vel subjectionem summi sacerdotis respectu Salomonis, vel hujus in ullum jurisdictionem; quia is dictavit sententiam mortis ex jure Belli, vi cujus supremus Princeps quemcunque aggressorem injustum occidere potest.

Contra hanc clericorum exemptionem opponunt ulterius, quod ad Rom. 13. a judicio & potestate gladii nemo eximatur. Verum loquitur scriptura non de supremo capite, sed inferioribus & subditis, in propria cujusque sphaera.

Denique arguunt, Christum Dominum, cujus S. Pontifex est Vicarius, non refugisse judicium sæculæ, sed agnovisse potestatem judicandi in Pilato, ex illo Joannis 19. vers. 11. *Non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset de super.*

Resp. Distinguendum esse inter potestatem facti & juris; Pilatus habuit ex permissione divina potestatem de facto, non de jure in Christum, prout constat ex Lucæ

22. *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum.*

Altera immunitas clericis concessa dicitur *realis*, estque prærogativa, cujus virtute res & bona ecclesiastica, ab omni contributione & onere, quod rebus titulo sæcularis jurisdictionis imponitur, sunt exempta.

Dicitur 1. *Res & bona ecclesiastica.* Equidem de bonis ad ecclesias ex fundatione vel donatione pertinentibus, dubium non est, quin immunitate reali potiuntur. cap. 4. cap. 7. de immunit. cap. 1. eod. in 6. cap. 4. de censib. in 6. aurb. item nulla. C. de episc. & cleric. de bonis clericorum respectu ecclesiæ vel titulo spirituali acquisitis, rursus apud plerosque receptum est, illis immunitatem realem suffragari. can. 25. caus. 23. quest. 8. cap. 1. de censib. clement. un. de immunit. dict. aurb. item nulla. De bonis vero patrimonialibus ac titulo profano receptis, utrum immunitate reali perfruantur, variant sententiæ, affirmativam tenent plerumque canonistæ, cum abbate in cap. ecclesia, de constit. n. 21. Pirrhing ad tit. immunit. n. 57. Gonzalez. ad cap. non minus. 4. eod. n. 10. ob textus mox citatos & cap. quamquam 4. de censib. in 6. quorum præcipua ratio est: quia contributiones & onera realia rebus imponuntur ex titulo jurisdictionis, quæ sicut in personas ecclesiasticas deficit, sic etiam in res ipsarum patrimoniales.

Hhh 3

Dicitur

Dicitur 2. *Ab omni contributione & onere.* Quo nomine veniunt tributa, collectæ, stauræ, talliæ, vectigalia &c. à quibus pensitationibus libera sunt bona ecclesiastica, si illæ contributiones sint novæ. Num etiam ab antiquis pensitationibus libera sint, AA. rursus variant, interim distinguendum arbitror, inter pensitationes & contributiones, quæ rebus inhærent, ex præcedenti pacto vel jure proprietatis; an autem sint impositæ ex jure jurisdictionis sæcularis; pensitationes prioris generis nec ecclesiasticæ libertati repugnant, nec ecclesiam potestati sæculari faciunt subjectam, ideoque verificatur illa paræmia, rem transire ad Ecclesiam cum imposito onere. *cap. 5. de pign. l. 23 §. 2. de S. P. R. l. 12. ff. commun. præd.* Pensitationes posterioris generis cum adversentur immunitati ecclesiasticæ, ac principaliter imponantur ob subjectionem personæ, ut constat ex illo *ad Rom. 13. Subditi estote &c. ideo enim & tributa præstatis.* Non

onerant bona ad Ecclesias noviter translata, sed procedit axioma, quod deveniant ad statum, à quo ducere non possunt initium, sed evanescent. *per l. 98. in fin. princ. ff. de V. O. AA. citati.*

Ex causis, in quibus immunitas realis cessat, singulariter in jure probatur, necessitas ac utilitas communis & tanta, ut laicorum facultates illius sublevationi non suppetant, accedente tamen cognitione cleri ac Episcopi, nec non approbatione summi Pontificis. *cap. 4. & ibid. Gonzalez. n. 14. & seq. cap. adversus. 7. de immunitat.*

Ratio est: quia si Ecclesia ex motivo pietatis alias debet succurrere pauperibus, indigentibus & captivis, quanto magis tenebitur Republicæ indigenti succurrere? D. Francisc. Schmier. *tract. de person. reb. & jur. Eccles. part. 3. cap. 4. sect. 3. §. 3.* quæ hæcenus dicta de jure Publico Romano Ecclesiastico, sufficiant, & referantur ad majorem gloriam illius, qui est noster ultimus

F I N I S.

